881
D3b.Yr

1833. L.

SPECIMEN CRITICUM INAUGURALE

IN

DEMOSTHENIS ORATIONEM

ADVERSUS

ARISTOCRATEM.

UNIVERSITY OF ILLINOIS
LIBRARY

Class 881 Book D36Yr Volume

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

https://archive.org/details/specimencriticum00riem

SPECIMEN CRITICUM INAUGURALE

IN

DEMOSTHENIS ORATIONEM

ADVERSUS

ARISTOCRATEM.

TYPIS FRATRUM GIUNTA D'ALBANI.

881
□3b.Yr

SPECIMEN CRITICUM INAUGURALE

IN

DEMOSTHENIS ORATIONEM

ADVERSUS

ARISTOCRATEM,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI NIEUWENHUIS,

A. A. L. L. Mag. Philos. Doct., in Facultate Philos. Theor. et Liter. Human. Prof. ord.,

NEC NON

amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

ET

nobilissimae FACULTATIS PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JOHANNES DIDERICUS DE RIEMER,

HAGA-BATAVUS.

AD DIEM XXIX MARTII MDCCCXXXIII, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

ROTERODAMI,

APUD VIDUAM J. ALLART.

MDCCCXXXIII.

11122

VIRO DOCTISSIMO

J. KAPPEYNE VAN DE COPPELLO

S. P. D.

JOH. DID. DE RIEMER.

Tibi, Vir doctissime, ut hoc opusculum mittere mihi liceret, non flagitavi, quo, inscripto claro tuo nomine, opellae meae vitia occultarem aut aliquam tuae eruditionis famae partem in me redundaturam sperarem: longe me a tali ambitione remotum esse credas: aliud minus turpe studium me stimulavit. Nimirum animo reputabam tua, quae inde a pueritia mea mihi praestitisti, perfecta merita, egregiam tuam institutionem, qua indolem meam moresque ad humanitatem informasti, consuetudinem jucundissimam, qua me dignatus es, consilia utilissima et praecepta, quibus adolescentiam meam fovisti, consolationem denique, quam nuper in luctuosissima carissimi Patris mei morte mihi adhibuisti uberrimam:

198937

haec publice praedicare debebam, pro hisce publice gratias tibi agere mihi decretum erat. Quibus autem laudibus talia digne efferam ego, quem virium tenuitas urget linguaeque tenet inopia? Unum, quod restat, lubens tibi offero, animum gratissimum, tali flagrantem erga te pietate, qualem semper me conservaturum polliceor, omnemque operam daturum esse, ut, quamquam dignas numquam referre potero gratias, habeam tamen quam maximas.

Tu autem, Vir doctissime, ut mihi, qui Patris carissimi desiderio angor, Patris loco esse pergas enixe rogo, dum optimum praemium invenias in recte facti conscientia, nec dubium sit, quin Deus O. M. exaudiat preces, quas orbus pro Tua tuorumque salute Illi dicere non desinam. Vel a meque amare perge. Scripsi Hagae Comitum d. XXVIII Martii.

PRAEFATIO.

Quae huicce dissertationi praefari velim, paucissima sunt. Argumentum mihi, postquam tres tantum annos in virorum clarorum scholis versatus essem, a viro clarissimo BAKE propositum, primo quidem adspectu valde mihi placuit, quod Demosthenis scripta mihi non minimae semper fuerant voluptati: mox tamen lecta accuratius et perpensa tota oratione ejusque tractandae difficultate perspecta, pene ab incepto opere destitissem, nisi alia, ut quam celerrime instituta perficerem, privata ursisset caussa: computabam quoque, non propter gloriam me scribere, sed lege coactum progressuum meorum specimen edere debere. Aggressus sum igitur eamque in tractanda hac pulcherrima Dem. adv. Arist. oratione viam mihi proposui, ut priore parte quaedam monerem de temporum historia, de actionis caussa cet., in altera ipsam orationem interpretarer, conscripto primum ejus argumento, tum legibus expositis in ea obviis, tum denique additis selectis quibusdam annotationibus. Has tamen, tum propter legum difficillimam, mihi certe, explicationem, tum propter annotationum, quas confeceram, copiam delectumque arduum, omisi, nec vero earum in posterum edendarum consilium prorsus abjicere volo. — Sed jam de me plus, quam satis est, locutus sum. — Restat sanctum mihi exsequendum officium; ut Vobis nimirum, Viri clarissimi, PEERLKAMP, VAN ASSEN, REUVENS ceterisque gratias agam quam maximas pro egregia disciplina et consuetudine, quibus mihi frui contigit. Tibi impri-

mis, Promotor Aestumatissime Bake, *qui etiam in hoc opusculo expoliendo tantam suscepisti operam, quanta debeam, sentio, unde exsolvam, non habeo. Deum O. M. precor, ut vos diu servet incolumes et jucundam vobis praebeat senectutem, donec a bonis dilecti, a pravis invisi, ab omnibus aestimati, vitam ponatis prosperis adversisque satiatam. Hoc Tibi, Pater carissime, jam contigit, nec mihi meum gratum animum hodie tibi offerre licet: non tamen invideo: nec doleo, quod hasce meas studiorum primitias non inspicias, quae profecto exiguae et contemnendae sunt pro spe, quam de me foveras: aurea tua praecepta, consilia vere sapientia desidero: haec mihi, si ulla mortuis est communio cum iis, quos dum inter vivos erant felices reddere enitebantur, in animum revoca: hisce obsequendo optimas me tibi gratias referre sentio, easque me relaturum hocce die publice polliceor, memor egregii illius Ciceronis effati:* » Optima haereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio praestantior, » gloria virtutis, rerumque gestarum: cui dedecori esse, nefas et impium judicandum est."

DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

PARS PRIOR

PROLEGOMENA.

§ 1. Temporum historia . . . . . p. 1.
§ 2. De actionis causa et historia . . . . . — 6.
§ 3. De tempore, quo habita est oratio deque Oratoris aetatis anno . . . . — 7.
§ 4. De Accusatore . . . . . — 9.
§ 5. De Aristocrate et Charidemo . . . . . — 10.
§ 6. De genere ac specie orationis . . . . . — 12.
§ 7. De Tribunali, penes quod instituta est actio . . . . . — 14.

PARS ALTERA

ORATIONIS INTERPRETATIO.

§ 1. Argumentum . . . . . — 16.
§ 2. Legum interpretatio . . . . . — 18.
Lex quae in oratione prima laudatur . . . . . — 16.

Lex II . . . . . p. 32.
Lex III . . . . . — 38.
Lex IV . . . . . — 40.
Lex V . . . . . — 43.
Lex VI . . . . . — 47.
Lex VII . . . . . — 54.
Lex VIII . . . . . — 60.
Lex IX . . . . . — 65.
Lex X . . . . . — 67.
Lex XI . . . . . — 69.

PARS PRIOR

PROLEGOMENA.

§ 1. TEMPORUM HISTORIA.

Ad justam hujus orationis intelligentiam permultum conducere puto cognitionem historiae civitatum Graecarum: variis enim locis ab oratore ad probanda ea, quae dicuntur, afferuntur exempla inde petita: quin etiam tota oratio adumbratam tum totius Graeciae, tum praecipue Athenarum conditionis imaginem proponit, non solum quod ad hujus reipublicae formam internam attinet, sed etiam quod ad ejus cum exteris nationibus commercia. Cum autem non omnium rerum gestarum cognitio ad nostrum propositum necessaria sit, universe ea, quae maximi momenti mihi visa sunt, breviter commemorare statui.

Et primum quidem de discordiis inter duas potentissimas Graeciae civitates earumque origine quaedam dicenda sunt. Justinus lib. III c. IV init: bellum a Spartanis Messeniis illatum initium dissensionis Graeciae atque intestini belli caussam et originem fuisse dicit: et quidem jure hoc mihi statuisse videtur; quamquam et alius fons praecipuus quaerendus est in ipso ingenii Ionum et Doriensium discrimine: quorum illi leves, elegantes, mercaturae operam dantes, saepe civitatis formam mutantes, praecipue tamen democratiae faventes, maris imperium sibi vindicabant: hi contra severiores, corporis vires magni aestimantes, aristocraticae regiminis formae dediti, plurimum terra valere studebant. Bello autem illo Messenio morum ista diversitas magis in lucem prolata est et revera illud intestini belli initium vocari meretur. Nimirum in illo Spartae, quae caeteris Doricis civitatibus imperare volebat, perspecta est superbia regnandique cupiditas: Athenarum contra, alterius Graeciae oculi et Ionicarum civitatum principis, consilium apertum est ipsis resistendi. Spartani igitur eorumque socii, reportata difficillima de Messeniis victoria, omnes Atheniensibus nocendi occasiones avide arripiebant; Boeotios, Euboeenses, alios illis inimicos reddebant, illorum turbis intestinis se immiscebant, quin etiam ipsorum urbem evertere studebant. Bellis Persicis ista aemulatio sedata, non deleta fuit: contra ob magnam Atheniensium gloriam in iis reportatam aucta magis, denique in apertas inimicitias degeneravit: atque ita ortum est bellum Peloponnesiacum, per 27 annos varia fortuna gestum, Athenarum expugnatione finitum. Triginta tyranni, ibi a Lacedaemoniis constituti, Doriensium aristocratiam multis civium caedibus odiosam magis reddiderunt. Atheniensium exsules et profugi, ob misericordiam ubique, praecipue Thebis et Megaris recepti, liberandae patriae consilium ineunt et Thrasybulo duce a sociis adjuti feliciter peragunt. Athenienses, libertate restituta, viribus suis reficiendis inprimis operam dederunt: dum Lacedaemonii Agesilao duce de evertendo regno Persico cogitantes, magnos in Asia progressus faciebant. Persarum rex, de regni sui interitu metuens, aliis armis dimicandum esse arbitratus est: Tithraustes satrapes in Graeciam misit Timocratem, qui Corinthiis, Thebanis et Argivis auro persuaderet, ut exercitum in Lacedaemonios conducerent: unde exortum est bellum Corinthium, pace Antalcidae turpissima compositum. Neque haec pax diuturna fuit: Lacedaemonii, superbia elati, Mantineam capiunt, Phliunte civium stragem faciunt,

Acantho et Apolloniae adversus Olynthum auxilia mittunt et in itinere Phoebida duce Cadmeam, Thebarum arcem, occupant, Ismeniae partes urbe pellunt et praesidio in arce relicto Leontidi tradunt. Non mirum igitur, novum hinc exstitisse bellum Thebanos inter eorumque socios et Lacedaemonios: quo Thebae altissimum gloriae gradum attigere, Sparta hostilem exercitum vidit; quo Athenienses ex utrorumque aemulatione ἀσφαλῶς οἰκεῖν quaerentes, modo his, modo illis favebant; quo denique, postquam ad Mantineam cecidit Epaminondas, interfecto jam antea in Thessalia Pelopida, non tantum Thebanorum vires interierunt, sed Atheniensium etiam virtus intercidit. Hi enim ab oratoribus corruptis decepti, εἴ τι νέον quotidie quaerentes, viris claris morte et exsilio amissis, bello sociali infelici successu gesto, amisso, cui aemulari consueverant, in segnitiam torporemque resoluti, non ut olim in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum reditus publicos effundunt (1). Nec Lacedaemonii quoque facile vires, bello Thebano fractas, refecturi erant: quibus rebus effectum est, ut sordidum et obscurum antea Macedonum nomen emergeret.

Macedonia primum fuit pars Thraciae. Varii erant ejus antiquissimi incolae: Edones, Pierii, Paeones, quibus accessit anno circiter 813 A. C. cum Peloponnesiorum manu Caranus, qui erat stirpe Heraclides, Edessam cepit ibique regni sedem statuit: sed mox Macedones barbarorum mores assumserunt; quamobrem semper a Graecis inter barbaros numerantur. Alii Perdiccam primum regem fuisse ferunt: sed hoc inde factum esse puto, quod plura regna in Macedonia simul exstiterint. Reges, qui deinde fuere, non multum inclaruerunt: bella nimirum tantummodo gerebant cum Thracibus et Illyriis obscura. Persici belli tempore magis innotuerunt: Persis enim inviti paruerunt. Ab Amynta, Alexandro, Perdicca regnum stabilitum magis est et fines prolati: hinc rebus Graeciae magis se immiscere inceperunt: Alexander primus cum Thebanis foedus iniit, fratre Philippo obside dato et aliis 30 ex nobilibus, qui Thebis philosophiam et inprimis artem militarem perceperunt: quae res postea in Graecorum perniciem versa est.

Mortuo enim Perdicca (ut Just. refert, interfecto) Philippus Thebis in Macedoniam fugit et primum Perdiccae filii tutorem egit, deinde gravioribus bellis imminentibus, compulsus a populo regnum suscepit et egregie de patria meritus est. Nimirum eam ab intestinis insidiis et exteris hostibus defendit: mox imperium Graeciae affectavit, quod quomodo adeptus sit paucis nobis exponendum est. Ut jam vidimus, maxime ei favebant discordiae inter praecipuas Graeciae civitates ortae, quibus singulae vires ipsæ suas fregerant: colonias quoque Graecorum, imprimis Atheniensium, in Thracia et Macedonia, Amphipolin, Potidaeam cæt. ceperat et virium suarum periculum fecerat: occupatis autem ab illo apud Crenidem auri metallis, habebat, unde militibus suis stipendia solveret et Graecorum animos corrumperet discordiasque aleret. Callide enim sensit auri vim, recteque Horat. lib. III carm. od. 16 cecinit:

diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit aemulos
Reges muneribus:

et, quod non minimum judicandum est, opportunam consilii sui perficiendi occasionem nactus est,

(1) Cf. Just. lib. VII cap. ult.

novam nimirum inter omnes Graeciae civitates discordiam, ad quam dirimendam et componendam ipse in auxilium vocatus est. Concilium enim Amphictyonum Spartanis propter occupatam Cadmeam, Phocensibus, quod agri Cirrhaei partem aratro violaverant, gravem multam imposuerat. Hi ab Atheniensibus, Thebanorum invidis, Achaeis et Lacedaemoniis adjuti, duce Philomelo templum Delphicum occupant et multam inde praedam deportant: Thebani Philippi auxilia implorant, qui primum ab Oenomarcho, Philomeli successore, victus, paullo post eum fudit et interfecit. Mox eum Graeciam intrare cupientem Athenienses, auctore Demosthene, occupatis Thermopylarum angustiis, prohibuerunt. Nimis autem horum mores corrupti luxuriaeque dediti erant, quam ut ejusdem oratoris invadendæ Macedoniæ consilium perficere possent aut vellent. Philippus igitur Olynthum capit, Athenienses ad Marathonem et apud Salamina fundit et pacem turpem facere cogit: tum denique, deceptis singularum civitatum legatis, per Thermopylas Phocidem invadit finemque facit belli sacri, quod ad hoc usque tempus varia fortuna gestum erat. His peractis Spartam petit et huic quoque civitati pacis conditiones praescribit. Jam de tota Graecia subjuganda cogitans, colonias ad Hellespontum in potestatem redigere conatur: Perinthum, mox Byzantium obsidet, sed frustra: tum callide ad Scythas debellandos se convertit, tamquam Graeciae oblitus. Interea Aeschines, Atheniensium orator, auro ejus corruptus, effecit, ut ab Amphictyonibus dux crearetur ad finiendum bellum adversus Locros, qui occupata agri sacri parte, multam sibi impositam pendere nolebant. Locridem igitur invadit: Amphissam diruit: Elateam, Phocidis urbem, capit et praesidio munit. Athenienses perterriti foedus cum Thebanis de communi hoste summovendo ineunt et legationibus Graeciae civitates fatigant, quarum quaedam auxilia mittunt, aliae autem belli metu ad Philippum transeunt. Utrimque instructa acie ad Chaeroneam pugnatum est: Macedonibus multa favebant, maxime Philippi peritia militaris et ipsorum multis bellis indurata virtus: fortiter tamen sese gesserunt Athenienses et socii: ducum imprimis inopia fecit, ut vincerentur. *Hic dies universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatam finivit* (1).

Thracia. Hujus regionis historia valde obscura est: historici, qui quidem supersunt, nonnisi obiter ejus mentionem faciunt, neque in paucis, quae memorant, conveniunt. Hoc constat, a variis habitatam fuisse populis, qui tamen omnes Thracum nomine insigniuntur: singuli autem illi regem sibi creabant. Odrysarum populus potentissimus fuisse videtur. Reges autem illi saepe viris, vel ex sua gente, vel ex alia claris partem regionis regendam tradebant. Exemplum habemus in Xenoph. Anab. lib. VII. Ibi Zeuthes a Medoco sive Amadoco, Odrysarum rege, impetrat, ut patris Mesadis bona (maritimas urbes) recuperare sibi liceat: ex quo loco simul confici potest et ex alio cap. I § 33, quomodo antiquis temporibus clarorum ducum ope reges usi sint ad se ipsos tutandos et ipsi illi duces se huic rei praestandae praebuerint. Bella continua tum inter se, tum adversus Illyrios et Macedones gesserunt. Athenienses eas discordias alebant aut potentissimi regum societatem petebant, ut coloniae in oris Thraciae sitae majore fide ipsorum partes tuerentur. Reges, qui maxime inclaruerunt, fuere Teres, Sitalces, Medocus, alii, omnes Odrysarum: altissimum vero potentiae culmen attigit Thracia regnante Coty,

(1) Justinus lib. IX c. 3 in fine.

de quo ejusque filio Cersoblepte plura dicenda sunt. Quando rex factus sit Cotys, accurate definiri non potest: fortasse circa ann. 390. Alia quaestio est, cujusnam populi rex fuerit: et mihi quidem videtur Odrysarum fuisse. In quam sententiam his adducor rationibus: Primum fertur Amadoci cujusdam fuisse filius Cotys: tali autem nomine fuit Odrysarum rex, qui primum Zeuthae permisit, ut urbes maritimas sibi subjiceret: deinde alicubi legimus, Thrasybulum composuisse dissidium inter eos, fortasse ob insidias, quas Zeuthes Amadoco struxerat, ortum: mox eundem Zeuthen Atheniensium auxilia adversus Cotyn implorantem invenimus: non mirer igitur, si Amadoco interim mortuo, filius Cotys successerit eique Zeuthes, amplificandi regni sui cupidus, novas insidias struxerit. Qualis autem vir fuerit Cotys, ex iis, quae gessit, facile confici potest. Primum bellum modo memoratum adversus Zeuthen fortiter gessit, siquidem Iphicrates, a Zeuthe in auxilium vocatus, aliquando ex multis praeliis inferior discessit: Zeuthae autem urbium maritimarum imperio relicto et Iphicrati filia sua in matrimonium data hoc bellum finivit Cotys. Genero deinde Iphicrate plurimum copias ducente totam prope Thraciam sibi subjecit: Zeuthen, iterum bellum comparantem, profligavit: Miltocythen, Thraciae principem, fortasse ab ipso regionis parte donatum, ab Atheniensibus duce Iphicrate adjutus, facile oppressit. Mox autem Athenienses auxilii Cotyi adversus Miltocythen, qui ipse eorum opem imploraverat, praestiti poenituit: Cotysque iis suspectus fieri coepit. Metuebant enim, ne ipsorum colonias adoriretur. Hanc ob caussam praefectus eorum ad Hellespontum classis, sive sponte sua, sive fortasse clam ab ipsis jussus, Cotyis res aggressus est, sed ab Iphicrate, soceri exercitus duce, repulsus est. Hinc apertum exortum est bellum Cotyn inter et Athenienses, cujus tamen Iphicrates, a Coty saepe rogatus, particeps esse noluit: quare ex Thracia profectus primum Antissam, Lesbi urbem, tum Dryn, Thraciae oppidulum, habitatum se contulit. Cotys contra, Iphicratis copiis mercede conductis, multas Atheniensium in Thracia et Chersonneso colonias expugnat: ipse tamen non diu post a Pythone et Heraclide interfectus est.

Videmus igitur, semper summopere conatos esse Athenienses, ut quamdam auctoritatis speciem in Thracia servarent: nec mirum: multum enim frumenti et pecuniae ex ea conficiebant. In bellis adversus Lacedaemonios eo etiam belli fax translata fuit, Atheniensibusque damno fuisset, si Lacedaemonii in hac regione opes suas firmare potuissent: quibus rationibus in posterum etiam alia accessit, nimirum, ut Philippum quodammodo coërcere et ab inferendo ipsis bello deterrere possent, metuentem, ne, si abesset, Athenienses in ipsius regionem irruerent.

Cotys moriens Cersobleptem successorem reliquit, ea conditione, ut cum duobus aliis, Berisade et Amadoco, imperium divideret. Hos duos aliquando credidi non, ut vulgo putantur, Cotyos filios, sed ejus amicos et Thraciae principes fuisse: alicubi enim Demosthenes dicit, mortuo Cotye Cersobleptem et omnes Cotyos liberos admodum adolescentes fuisse: ex quo loco mihi patere videtur, Cersobleptem fuisse eorum natu maximum, quod primo loco nominatur: alio autem loco pag. 7 Berisadis liberi memorantur; quod recte non fieri potuit, si Cersobleptae frater et quidem minor natu fuit, nisi a Cotyos morte ad factum, quod ibi narratur, permagnum temporis spatium praeterierit: quod non ita videtur. Obstat tamen, quod Just. lib. VIII c. 3 versus finem dicit: *His ita gestis, forte evenit, ut eum* (Philippum) *fratres duo, reges Thraciae*, etc., quod

vix aliter, quam de Cersoblepte et Amadoco explicari potest. Utut est, (neque magni interest), hoc certe constat, mortuo Cotye, τρεῖς ἀνθ' ἑνὸς γενέσθαι Θρᾴκης βασιλέας, qui singuli copiis suis ducem praefecerunt, sibique invicem inviderunt, quod Atheniensibus valde profuit, ipsis valde nocuit. Cogebantur enim Chersonnesum Atheniensibus tradere, dum ipsi invicem metuentes, ne alterius viribus accederet, disceptationum suarum judicem eligunt Philippum. *Sed Philippus more ingenii sui, ad judicium, veluti ad bellum, instructo exercitu, inopinantibus fratribus, supervenit et regno utrumque spoliavit* (1).

Restat, ut pauca de praecipuis Graecorum in Thracia coloniis moneamus, et primum quidem de Amphipoli. Justum tempus definire, quo primum Athenienses colonias in Thraciam deduxerint, perdifficile est: maxime eos post bella Persica ibi vires stabilivisse constat. Amphipolis certe anno 465, secundum alios anno 435, condita est. Sita erat inter Nestum vel Nessum et Strymonem fluvios; antea vocabatur ἐννέα ὁδοί. Ante Philippi Macedonis tempora bella cum Atheniensibus, quorum dominationi amplius parere nolebant, continua gessisse ideo conjicio, quod Philippus initio regni sui callide eam liberam pronuntiavit: non diu post tamen per Atheniensium socordiam cepit.

Potidaea, Corinthiorum colonia, sita unde isthmus Pallenes peninsulae angustus incipit; postea vocata est Cassandria: de tempore, quo deducta sit, non constat: valde tamen antiqua videtur fuisse; in causis enim fuit belli Peloponnesiaci. Quippe Athenienses eam post longam obsessionem ceperant, ipsaque ab eo inde tempore ad Philippi tempora his paruit. Philippus autem eam cepit et Olynthiis tradidit: mox tamen capta ipsa quoque Olyntho, sibi subjecit.

Olynthus ἦν πόλις ἐπὶ Θρᾴκης (2). ἑλληνικὸν δὲ τῶν ταύτῃ ἐνοικούντων τὸ γένος ἀπὸ Χαλκίδος τῆς ἐν Εὐβοίᾳ. ἡ δὲ Χαλκὶς Ἀθηναίων ἄποικος etc.: cf. Libanii argumentum Olynthiacae I tom. I pag. 8: locus memorabilis, cui hoc tantum addo, Olynthum, quum frustra ab Atheniensibus auxilia petiisset, a Philippo Ol. cviii ann. 1, proditam ab Euthycrate et Lasthene, captam esse.

Pydna Macedoniae urbs: an Atheniensium colonia fuerit, non liquet; neque etiam ejus situs accurate definiri potest. Athenienses certe eam in potestate sua habuisse patet ex Philippica I pag. 45: εἴχομέν ποτε ἡμεῖς Πύδναν καὶ Ποτιδαίαν καὶ Μεθώνην: ego sitam eam urbem fuisse conjicio non longe ab Olyntho, tum quod ab oratore una cum Potidaea citatur, tum quod apud Diod. Sic. lib. xvi tom. ii pag. 84 ed. Wess. legimus: τὴν δὲ Πύδναν ἐξανδραποδισάμενος παρέδωκεν Ὀλυνθίοις: ex quo loco simul apparet, eam a Philippo captam fuisse et quidem ann. 3 Olymp. cv.

Methone: etiam haec erat Macedoniae urbs; forte Atheniensium colonia: his certe ad Philippi tempora, ut modo ex loco Dem: vidimus, subjecta fuit. Hic autem metuens, ne Atheniensibus ὁρμητήριον esset ad invadendam Macedoniam, eam Olymp. cvi ann. 4 cepit, et in ejus obsessione sagitta ei dextrum oculum effodit.

---

(1) Cf. Just. lib. viii c. 3. in fine.

(2) Secundum alios urbs Macedoniae: sed hoc ex antiqua Macedoniae conditione explicandum esse mihi videtur; Macedonia enim, ut supra jam alicubi dixi, antiquitus habita est pars Thraciae.

Multae aliae Graecorum, praesertim Atheniensium coloniae erant, tum in oris Thraciae, tum ad Hellespontum et Propontida, quae tamen plurimae post habitam hanc orationem inclaruerunt et majoris momenti factae sunt; quare eas omittere et paucis adhuc de Chersonneso monitis huic de historia paragrapho finem imponere posse mihi videor.

CHERSONNESUS THRACICA sive MAGNA, terra nusquam lata, fecundissima peninsula per isthmum 36 vel 40 stadiorum continenti adhaerens, erat Atheniensium *κτῆμα ἀρχαῖον*. In eam nimirum jam bellorum Persicorum tempore colonias miserant, duce Miltiade quodam, qui ibi tyrannus, attamen justus, factus est (1). Ab eo inde tempore ad Philippi tempora juris Atheniensium permansit, quamvis hi pro regum Thraciae, praecipue Odrysarum, potestate non quovis tempore aeque tuto eam possederint. Inter alios Cotys, ut jam vidimus, maximam Chersonnesi partem iis ademit et ad mortem usque tenuit. Tum vero tribus pro uno regibus factis discordiaque inter eos orta, Charidemus iis auctor fuit, ut Chersonnesum Atheniensibus traderent, Cardia urbe tantum excepta.

§ 2.

DE ACTIONIS CAUSA ET HISTORIA.

De ipsa actione acturi, non alienum videri potest, si primum, quid ei ansam dederit, tradimus et breviter quidem: causa enim aperta est et simplex. Videbat orator *πρᾶγμα ἀλυσιτελὲς τῇ πόλει κατασκευάζοντάς τινας ἀνθρώπους*. Nimirum Aristocrates decretum vel promulgaverat vel promulgare volebat de tutando Charidemo: in eaque re nullam nec justi nec utilis nec personae, cui tulerat, rationem habuerat. Scripserat enim: *Ἂν τις ἀποκτείνῃ Χαρίδημον, ἀγώγιμος ἔστω ἐξ ἁπάσης τῆς Ἀθηναίων συμμαχίδος. ἐὰν δέ τις τὸν ἀγόμενον ἀφέληται ἢ πόλις ἢ ἰδιώτης, ἔκσπονδος ἔστω.*

Charidemus autem, de quo in seq. separatim videbimus, Cersobleptae, unius Thraciae regum, copias ducebat, ipse *στράτευμα ξένων ὑπὲρ Κερσοβλέπτου* tunc temporis *τρέφων*: antea autem, ut orator ostendit, necessitate coactus suasor exstiterat, ut Atheniensibus Chersonnesus traderetur, propterea que ab his, qui jam diu se ipsi contemnere didicerant atque aliis rerum gestarum gloriam concedere solebant, *ἀγαπῶντες* si quem haberent, cui gratias agere possent, *ἐνεργ της* putabatur: qua propter igitur metuendum erat, ne tale beneficium ei tribuerent, ac ne hic, praesidio munitus, Cersobleptae rebus favens, adversus ipsos militaret et Chersonneso eos iterum privaret. Hoc prohibere volens, ut ipse ait, ad accusandum decretum descendit Euthycles quidam, et tria ponit accusationis capita. An singula aeque vera sint, difficile est judicare: hoc statuere audeo, primum de legitimo et alterum de utili caput justa, certe subtilia esse: quamvis simul putem, vocem *ἀγώγιμος* alio sensu ab oratore atque ab Aristocrate sumtam esse. Orator nimirum abusus, qui ex ea actionis extraordinariae forma, nisi accurate definita esset, sequi poterant, pro ipsa actione sumsit: et in ea re, ipse quidem juste et subtiliter, in Aristocratem autem,

(1) Cuinam Miltiadi hoc tribuendum sit, investigare non hujus loci esse puto, deque ea re valde dissentiunt viri docti. Vid. interprett. ad Nep. in Vita Milt. c. I.

quem nudam *ἀπαγωγὴν* in Charidemi interfectorem concedere voluisse puto, nimis severe egit. De tertio accusationis capite, quo de Charidemo agit, post videbimus.

An denique revera prohibuerit, quo minus decretum ratum fieret, propter corruptos tunc temporis Atheniensium mores dijudicari nequit, neque ex historia liquet. Hoc certum, si tali oratione *διδαχθέντες* judices tamen decretum, ut tum erat, non improbaverint, eos, nisi injuste, certe valde incaute egisse.

§ 3.

DE TEMPORE, QUO HABITA EST ORATIO DEQUE ORATORIS AETATIS ANNO.

Satis accurate hoc tum ex Dionysio Halicarnassensi et Plutarcho, tum ex indiciis ex ipsa oratione petitis definiri posse videtur.

Dionys. Hal. in epist. ad Ammaeum (pag. 120 et 121 ed. Sylb.) dicit oratorem natum esse *ἐνιαυτῷ πρότερον τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος*, Archonte Timocrate 17 aetatis annum egisse; publicas habere orationes incepisse archonte Callistrato, *εἰκοστὸν καὶ πέμπτον ἔχοντα ἔτος*: tertio denique post Callistratum, archonte Aristodemo, hanc habuisse orationem adversus Aristocratem; anno igitur aetatis 28 vel 29, Olymp. CVII ann. 1. In Dionysii computatione hoc tantum vitiosum videtur, quod si archonte Timocrate 17 aetatis annum egit orator, archonte Callistrato 26 annos natus esse debuit. Hoc tamen fortasse ita explicandum est, ut statuamus, medio fere anno 4 Olymp. XCIX natum esse oratorem, et Dionysium, quum eum archonte Timocrate 17 aetatis annum egisse dicit, finem anni indicare, quum autem archonte Callistrato 25 annos natum eum fuisse narrat, ejus anni initium significare. Idem quoque de hac oratione statuendum est; quae si in fine anni 1 Olymp. CVII habita est, orator 29 aetatis annum jam attigerat, si autem initio, 28 adhuc annos natus erat. Nullo igitur modo cum Tayloro ex hoc Dionysii loco confici potest, Demosthenem tempore habitae hujusce orationis, 30 aetatis annum egisse. Cui sententiae Plutarchus quoque in ejus vita obloquitur: memoratis enim ibi in in Androtionem, in Timocratem et in Aristocratem orationibus, haec addit: *δοκεῖ γὰρ δυοῖν ἢ τριῶν δέοντα ἔτη τριάκοντα γεγονὼς ἐξενεγκεῖν τοὺς λόγους ἐκείνους*, et, quod non omittendum, eadem qua Dion. l. l. serie eas orationes enumerat. Ex alio quoque Plutarchi loco cum Dion. comparato apparet, hos duos auctores de tempore habitae hujusce orationis non dissentire, quamquam primo obtutu ita videtur. Nimirum Plutarchus haec tradit: *Δῆλος δ' ἐστὶ καὶ τὴν κατὰ Μειδίου παρασκευασάμενος εἰπεῖν δίκην, δύο μὲν ἐπὶ τοῖς τριάκοντα γεγονὼς ἔτη* etc. Dionysius autem l. l. p. 121: *ἐπὶ Καλλιμάχου τοῦ τρίτου μετὰ Θέσσαλον* (ita lege pro *Θέελλον*, quod vitiosum esse recte docuit Sylb. ad hunc locum) *ἄρξαντος γέγραπται ὁ κατὰ Μειδίου λόγος*. Thessalus vero ille Aristodemum archontem excepit. Si igitur ponimus, in altera parte anni, quo hic archon fuit, 29 annum egisse oratorem, principio anni, quo Callimachus archon erat, 32 annos natus fuit et revera orationem in Midiam, ut Plutarchus tradit, etiam secundum Dionysii computationem, 32 aetatis anno habere potuit.

Haec igitur in Aristocratem oratio secundum hos duos auctores anno circiter 1 Olymp. CVII habita esse videtur, oratoris anno aetatis 28 vel 29.

Scriptor tamen de Vit. X Orat. p. 845, cui Wolfius ad Leptineam p. 62 assentitur, natum esse Demosthenem perhibet archonte Dexitheo Ol. XCVIII a. 4. Secundum eam computationem tempore habitae orationis contra Leptinem 30, hujusce autem orationis 32 vel 33 aetatis annum agebat. Mihi autem magis placet, quod Plut. et Dion., quos componere conatus sum, de ejus aetate tradunt.

Jam videamus, num illorum sententia indiciis ex ipsa oratione petitis confirmetur. Indicia autem significo historica, nimirum rerum gestarum, clarorum ducum etc. mentionem, ex qua satis manifesto indicatur, post eas res gestas, florentibus iis ducibus, habitam fuisse orationem; non ea dicta intelligo, quae de se prodit orator: recte enim monuit Wolffius ad Lept. pag. 56: *In eo genere orationum, quas constat in suggestu attulisse eos, quibus scriptae essent, cavendum esse, ne temere ea, quae sunt aliorum et diversorum hominum, ad Demosthenem ejusque res ac vitam referamus.* Ita v. c. ex loco pag. huj. orat. 5 v. 15: ἐπειδὴ γὰρ οὐχὶ τῶν ἐνοχλούντων ὑμᾶς, οὐδὲ τῶν πολιτευομένων καὶ πιστευομένων παρ' ὑμῖν ὢν etc. falso quis putet, habitam esse hanc orationem, antequam ὥρμησε ἐπὶ τὸ πράττειν τὰ κοινὰ Demosthenes: Euthycli enim ea scripsit, quamvis simul se ipse subindicare potuerit.

Permulta autem ex oratione colligi possunt indicia historica: v. c. ex loco pag. 41 initio, pag. 42 init., 46 init., 47, 64 init., 67 etc. Ex iis tantum eligam loca pag. 41, 46 et 64. Primo loco nimirum loquitur de Olynthiis et dicit eos, a Philippo defecisse et in eo esse, ut societatem cum Atheniensibus ineant: fecisse autem eos illam societatem puto, quum Philippus in Thracia versaretur suamque in ea regione dominationem extenderet; quum enim Olymp. CVII ann. 3 vel 4 ipsam Olynthum aggrederetur, misit haec civitas legatos Athenas ad imploranda auxilia.

Altero loco pag. 46 v. 5 memoratur Phayllus, Phocensis δυνάστης. Is autem ann. 4 Olymp. CVI et init. anni 1 Olymp. CVII imperium tenuit, eumque tempore habitae hujus orationis jam quamdam rerum gestarum gloriam sibi comparavisse et adhuc inter vivos fuisse patet: quare ex hoc iterum loco id tempus non longe ab initio dicti anni 1 Olymp. CVII abfuisse videtur. Quae denique pag. 64 de pactis a Charete Charidemo impositis et pag. 66 de commoratione classis Atheniensis in Hellesponto traduntur, valde quoque huic sententiae favent. Chares enim Olymp. CVI ann. 4 Sestum cepit, eodemque tempore cum Charidemo illum pactum fuisse verosimillimum est et aliquamdiu in Hellesponto degisse, donec fortasse in fine anni modo citati propter ἐτησίας Athenas rediret. Charidemus autem seq. anni initio praesidium Atheniensium, quale ut ipsi tribueretur, tulerat Aristocrates, sibi comparare voluisse, contraque Euthycles hanc instituisse actionem videtur.

Haec quidem sunt indicia verosimillima ex iis, quae *narrat* orator; unum fortasse restat ex eo, quod *silentio praeterit.* Nimirum Philippus quidem vocatur pag. 45 init. ὁ μάλιστα δοκῶν νῦν ὑμῖν ἐχθρὸς εἶναι et pag. 42 init. amicitiae, quam cum Thessalis junxit quaeque maxime Olymp. CVI anno 4 in expellendis eorum tyrannis apparuit, mentio fit, non autem de eo, quod Graeciam intrare eum cupientem Athenienses arcuerant, quod factum esse tradit Diod. Sic. Olymp. CVII anno 1 et quidem, ut ex his conjicio, in fine ejus anni

Ex his tot tantisque testimoniis persuasum mihi est, Olymp. CVII ann. 1 initio, oratoris 28, nisi habitam, scriptam certe fuisse hanc orationem.

§ 4.

DE ACCUSATORE.

Ut jam aliquoties dixi, Demosthenes in hac causa actor non fuit, neque hanc igitur orationem ipse habuit, sed testibus Plutarcho, Dionysio Hal., Libanio et alterius Hypotheseos auctore, *ἑτέρῳ ἔγραψεν*. Qualis autem hic vir fuerit, judicatu est difficillimum. Dionysius enim et Libanius nomen tantum ejus, alterius argumenti auctor nomen et *δῆμον*, Plutarchus nihil de eo tradit. Nobis igitur videndum est, quid praeter ea, quae ab his tradita sunt, quaeque huc redeunt: *Εὐθυκλῆς δέ τις Θάσιος τὸν δῆμον ἐπελάβετο τοῦ ψηφίσματος· καὶ λαβὼν παρὰ τοῦ Δημοσθένους τὸν λόγον, χρυσίον παρασχών, κατηγορεῖ τοῦ Ἀριστοκράτους*: ex uno alterove orationis loco de eo confici possit.

Et primum quidem ex loco pag. 5 v. 15 et ss. conficimus, eum non fuisse numero eorum, qui magna in republica gerenda florerent auctoritate, quique saepe eloquentia et aura populari abuterentur ad perniciosa perferenda decreta, corrumpendos judicum animos et augendas suas ipsorum divitias: ibi enim confitetur Euthycles, se annumerari velle *τοῖς λέγειν μὲν ἴσως οὐ δεινοῖς, βελτίοσι δ' ἀνθρώποις τῶν δεινῶν*: id est: iis civibus, qui principum acta attento animo observant, non ob leve quoddam eorum delictum turbas concitant, conciones clamoribus implent et majus inde malum pariunt, sed qui vero patriae amore ducti, eo usque taciti manent spectatores, donec perditos quosdam cives magnum civitati moliri videant periculum, quique tum non *ἰδίας ἔχθρας ἕνεκα*, sed *ὑπὲρ τῆς πόλεως* surgunt et omnia onera suscipiunt. Talem civem fuisse Euthyclem magis etiam apparet ex loco pag. 69 v. 3 et ss.: *ἴσως τοίνυν ἐκεῖνό τις ἂν μ' ἔροιτο· τί δήποτε ταῦτ' εἰδὼς οὕτως ἀκριβῶς ἐγὼ καὶ παρηκολουθηκὼς ἐνίοις τῶν ἀδικημάτων, εἴασα* etc. Locus omnino conferendus, ex quo simul confici posse mihi videtur, eum non propter juvenilem aetatem, sed alias ob causas caruisse in republica auctoritate. Nam quod ibi in concione factum fuisse narratur, non ita breve temporis intervallum ante habitam hanc orationem locum habuisse putandum est, et Euthycles tamen jam inter eos numeratur, qui si vellent in concione verba facere, poterant. Idem quoque quodammodo patet ex loco pag. 6 v. 6 ss.: *πρότερον δ' ὅτ' ἔπλευσα τριηραρχῶν εἰς Ἑλλήσποντον* etc.: quod *λειτουργίας* genus provectioris jam aetatis fuisse puto: quamquam Demosthenes in orat. in Midiam tom. II pag. 244 ss. *εὐθὺς ἐκ παίδων ἐξελθόντα* hoc se perfecisse gloriatur. Quando autem trierarchus fuerit Euthycles, aeque obscurum est: fortasse iis, quae pag. 60 in fine et ss. narrantur, interfuit; quae conjectura frequenti eo loco vocum *ἡμεῖς, ἡμέτερος* etc. et pag. 69 v. 5 vocis *παρηκολουθηκὼς* usu mihi quodammodo confirmari visa est.

Ecce omnia, quae de eo notata in oratione inveniuntur: quae ad hominis vitam cognoscendam pauca quidem, ad justam autem hujus orationis intelligentiam satis sunt.

§ 5.

DE ARISTOCRATE ET CHARIDEMO.

Hos una § comprehendi, quod arcte in ipsa causa conjuncti sunt. Aristocrates enim in jus vocatus et reus est, revera autem accusatur Charidemus ejusque vita et res gestae perstringuntur: non tantum peccasset Aristocrates, si dignus tali dono fuisset Charidemus.

Primum igitur de Aristocrate videamus. De hoc non plura, quam de Euthycle ab auctoribus supra laud. traduntur. Invenitur autem apud Diod. Sic. lib. xv pag. 480 Aristocratis cujusdam ducis nomen, sed temporis ratio impedit, quominus ibi de hoc Aristocrate mentionem fieri statuamus: nullis praeclaris rebus gestis inclaruisse videtur, ejusque nomen, nisi haec Demosthenis superstes esset oratio, oblivioni ut opinor fuisset traditum. — Pauca tamen, quae de eo ab istis auct. notantur, referamus et tentemus, numquid praeterea ex nonnullis orationis locis conjectura assequi possimus.

Ἀριστοκράτης τις Ἀθηναῖος ἔγραψεν ἐν τῇ βουλῇ ψήφισμα. Plura non referunt Liban. et alt. Hyp. auctor. Et haec sane per se satis manifesta erant. Nomen enim ejus saepius in oratione obvium est, eumque Atheniensem fuisse ex eo patet, quod *λέγειν καὶ γράφειν* potuerit, quod civibus *γνησίοις* tantum licuisse constat.

Jam ex ipsa oratione eum bonum civem, fortasse *βουλευτὴν* fuisse conjicio, in hoc autem decreto ferendo inscitia legum, oratorum perfidia et *τῷ διεψεῦσθαι τοῦ Χαριδήμου* imprudenter lapsum esse. Rationes, quibus in hanc sententiam adductus sim, quam brevissime potero, exponam.

1. Primum nisi bonus civis fuisset, ante actam ejus vitam actor perstrinxisset; raro enim hoc ab accusatoribus omissum fuisse ex multis orationibus patet: leniter contra ubique fere cum eo agit Euthycles, seque nulla privata inimicitia ad accusandum descendisse jam statim ab initio profitetur: magis eum admomet, quam in illum invehit: « Vide," ait, « quali re tu te ipse implicuisti: « si qui Charidemum interfecerit, omnibus locis hac lege memoratis abstineat et ab alio tamen occi- « datur, *ἔνοχος καὶ σὺ ταῖς φονικαῖς δίκαις ἔσῃ· καὶ γάρ, ἄν τις αἴτιος ᾖ, γέγραπται· ἔσῃ δ' αἴτιος, τὴν « διὰ τοῦ ψηφίσματος ἐξουσίαν δεδωκώς.*"

Deinde eum *βουλευτὴν* fuisse conjicio ex ejus objectione pag. 36 in fine: *ἀκυρόν ἐστι τὸ ψήφισμα, προβούλευμα γάρ ἐστιν· ὁ νόμος δ' ἐπέτεια κελεύει τὰ τῆς βουλῆς εἶναι ψηφίσματα,* De hoc loco seq. § plura videbimus. Videtur mihi decretum *ἐν τῇ βουλῇ*, ut Liban. dicit, proposuisse Aristocrates, ut *ψήφισμα βουλῆς* fieret: quod ipsis tantum licuisse senatoribus puto. — Eum denique a pravis oratoribus et lucri causa a *πολιτευομένοις* corruptum fuisse inde conjicio, quod plerisque locis non Aristocrates solus, sed oratores perstringuntur, quare eos puto illi falsa de Charidemo narrasse, ut quem haberent, qui decreto nomen praescriberet.

Jam de Charidemo videamus.

Natus est Orei, *χωρίου ἐν τῇ Εὐβοίᾳ*, ut dicit alt. Hyp. auct.: quid autem *χώριον* hic significet, patet ex orat. pag. 77 in fine: *Ὠρείτας μέρος τέταρτον Εὐβοίας οἰκοῦντας.* Mater ejus ibi civis erat, patrem ignotum et barbarum fuisse eod. loco affirmat Demosthenes. Scelli filius vocatur a Casaubono ad Aelian. var. hist. lib. II c. 41, quo loco ab auctore inter *φιλοπότας* numeratur Cha-

ridemus. Apud Oritas igitur ad nothos pertinebat. Jam mature militiae operam navasse videtur, ab infimis certe in ea gradibus incepit et, ni fallor, in patria sua Euboea *ἐν σφενδονήτου καὶ ψιλοῦ μέρει ἐννάτα ἐστράτευται τῇ πόλει.* Mox tamen ipse quosdam milites conducere seque cum iis unicuique potenti locare coepit. Ita primum ab Iphicrate in Thracia per 3 annos *μισθωθεὶς*, postquam hic *ἀποστρατηγὸς* factus missusque est ab Atheniensibus ad Amphipolin et Chersonnesum Timotheus, Cotyi, deinde Olynthiis se locavit, Atheniensium hostibus: ab his vero captus, venia non tantum, sed et civitate ac corona impetrata, rursus se locavit Timotheo. Hujus locationis tempore, ut videtur, peracto, in Asiam trajicit et Artabazi, ab Autophradate capti, affinibus se locavit. Fide data et accepta, mox vero violata, hostiliter se in eos gerere coepit et quasdam urbes occupat: haec ejus perfidia in ipsius exercitus perniciem versa fuisset, nisi Memnon et Mentor, Artabazi affines, eum *ὑπόσπονδον* dimisissent, metuentes, ne isti etiam ipsis invitis tutum transitum praestarent Athenienses, a quibus id per epistolam petierat et promissis impetraverat. In Chersonnesum igitur reversus Cotyi, quocum Atheniensibus tunc temporis apertum bellum jam erat, auxiliatur. Cotye autem non diu post interfecto, quum ejus liberi *μειρακύλλια* adhuc essent et ipse unus omnia posset, non tamen Atheniensibus favet, sed cum iis per septem menses bellum gerit et Cephisodoto, eorum *στρατηγῷ*, multis modis vexato, tandem turpissimas pacis imponit conditiones. Inde uni Cersobleptae invitis Atheniensibus totius Thraciae imperium tradere tentans, Miltocythen, fidum Atheniensibus amicum, Cardiae incolis, eorum hostibus, tradit, qui eum et filium crudelissime interficiunt. Hanc caedem moleste ferentibus Thracibus et in unum convenientibus Berisade, Amadoco et Athenodoro, Cersobleptes perterritus justiora cum Athenodoro pacta iniit, ut verosimile est, suasore Charidemo: hic tamen ea paulo post violat et Chabriae, Atheniensium duci, etiam turpiores, quam Cephisodoto, conditiones praescribit. Decem primum hac de re missis legatis, qui tempus terebant, nihil utile efficiebant. Charetem tandem, ex expeditione Euboeensi reversum, ducem *αὐτοκράτορα* in Chersonnesum mittunt Athenienses, qui re feliciter gesta nova iterum pacta eaque justissima inire Charidemum cogit. Neque tamen ab eo inde tempore fidus videbatur Atheniensium amicus factus esse: in ipsis enim illis pactis Cardiam sibi vindicaverat, ut *ὁρμητήριον* sibi esset *χρήσιμον τοῦ πρὸς Ἀθηναίους πολέμου*, et simulatque Atheniensium classem ex Hellesponto profectam esse vidit, uni Cersobleptae vel potius sibi omne subjicere imperium conabatur, quo eodem consilio Aristomachum Athenas miserat, ut primum tale ab Atheniensibus sibi decerneretur praesidium, quali perterriti duo reliqui reges Thraciae et Athenodorus ab ipso debellando desisterent; et deinde ut dux ab Atheniensibus crearetur.

Quae hucusque de eo notavi, maximam partem ex oratione hausta sunt; neque ex aliis fontibus haurire licuit. An omnia aeque vera sint, difficile est judicare: in nonnullis fortasse nimis severe judicavit Demosthenes. V. c. quod Charidemus Cersobleptae totam Thraciam tradere cupiebat, etiam eo consilio tentare potuit, quod putabat, hunc unum melius Philippi potentiae in dies crescenti resistere posse, quam si tres simul Thraciae reges essent, quod, ut Atheniensibus, ita quoque Philippo conducere videbatur.

Haec jam ad nostrum propositum sufficerent et hic subsistere possemus: paucissima tamen, quae

de eo hic illic inveniuntur, his addere lubet, ut ex iis melius quodammodo de oratione judicare liceat. Ac primum quidem quod in Olynth. III tom. I pag. 33 v. 11 narratur, non diu post hanc orationem habitam factum esse videtur, ex eoque loco confici potest, eum Athenas habitatum venisse et revera Atheniensium *στρατηγὸν* creatum fuisse; hoc magis etiam patet ex Philochori verbis a Dionys. Hal. in Epist. ad Amm. pag. 122 citatis, qui Charidemum *τὸν ἐν Ἑλλησπόντῳ στρατηγὸν* ab Atheniensibus ad Chalcidenses contra Philippum adjuvandos missum fuisse notat: in seq. vero Philochorus Olynthios, quum iterum legatos Athenas ad imploranda auxilia mitterent, haec rogasse dicit, *πέμψαι βοηθείαν μὴ ξενικὴν, ἀλλ' αὐτῶν Ἀθηναίων*, unde conficeres, Charidemum adhuc *ξεναγὸν* fuisse. Philippi tempore plura de eo non prodita sunt. Initio autem regni Alexandri, quum hic Thebas diruisset et pacem deprecarentur Athenienses, ea tandem conditione pax ab Alexandro concessa videtur, ut unum Charidemum in exsilium mitterent (1). Hoc certum, Charidemum, fortasse *βουλόμενον τοῖς Ἕλλησι τὴν σωτηρίαν παρασκευάσαι*, ad Darium profectum ab eoque non diu post ob linguae libertatem interfectum esse (2).

§ 6.

DE GENERE AC SPECIE ORATIONIS.

Nota est actionum apud Athenienses distinctio in publicas et privatas *κατηγορίας*, plerumque *γραφὰς* et *δίκας*, illas, quibus maxime civitas, has, quibus una tantum persona jus suum persequebatur; quamvis non semper accurate inter ipsas voces *δίκη* et *γραφὴ* distinxerint oratores, praecipue si universe loquerentur: ita invenies *αἱ ἴδιαι δίκαι καὶ αἱ δημόσιαι*, non tamen facile invenies *δίκη παραπρεσβείας* etc.

Ad prius actionum genus pertinet haec Euthyclis accusatio: continet enim *γραφὴν παρανόμων*; id est Aristocratis decretum, quo Charidemum privilegio donare voluerat, contra leges et *civitatis* commoda esse perhibet. Permulta de hac actione (3) disputata sunt, ut mihi certe nihil, quod amplius de ea dicere possim, relictum sit: neque etiam accurata ejus *γραφῆς* descriptio ad nostrum propositum pertinet, quare ad eos, qui hoc exposuerunt, remitto. — Inter alia hoc quoque eos tradere videbis, non eodem semper temporis momento leges aut decreta accusata fuisse, sed alia antequam a populo rata facta essent, per *ὑπωμοσίαν* prohibita fuisse, alia post populi probationem in jus fuisse vocata. Posterior agendi ratio usitatissima fuit et prudentissima. Prior iis tantum casibus locum habuisse videtur, si quis metueret, ne lex vel decretum, simulatque a populo probatum esset, civitati noceret neque *παρανόμων γραφῇ* locus esset.

Tali autem ratione etiam Aristocratis decretum ab Euthycle prohibitum fuisse obiter monuit Schömann op. l. pag. 164 not. 13. Nos autem hoc paulo accuratius indagabimus et difficultates, quae inde in nonnullis hujus orationis locis oriri videntur, explanare conabimur.

(1) Ut narrat Arrianus lib. I c. 13: quamvis alii tradunt, plures cum eo Oratores in exsilium missos fuisse. Cf. Plut. in vita Dem. Epist. 3 p. 291 tom. V.

(2) Cf. Curt. lib. III c. 2, 10.

(3) Schömann de com. Athen. p. 159 ss., p. 272 ss.; Heffter Athen. Ger. p. 157 ss.; Meier et Schömann der Att. Proc. p. 282; Plattner der Process etc. tom. II p. 25 ss.

Karsten

Classical

Timagoras
Fragmenta

Ac primum sese offert locus pag. 7 v. 6, quo de iis, qui Athenienses Chersonneso iterum privare moliebantur, haec tradit orator: *διαπράττονται σφισι τοῦτο γενέσθαι τὸ προβούλευμα*: quae verba duplici modo explicari posse videntur: vel ut significent: rogationem suam senatui sive ipsi, sive per Aristocratem proposuerunt, et effecerunt, ut eam approbaret senatus deque ea *προβούλευμα* fieret: vel: operam dant, ut hoc senatusconsultum, quod mea *ὑπωμοσία* tali nomine adhuc appellandum est, sciscatur a vobis et *ψήφισμα* fiat. Quamvis haec posterior quidem interpretatio etiam propter locum pag. 8 v. 14 ss. verosimillima videatur, tamen ex utraque, maxime ex adjecta voce *τοῦτο* patet, populum de eo suffragia nondum tulisse, sed actionem instituisse Euthyclem, quum adhuc in Catalogo populo propositum esset: atque ex hac ejus in accusando festinatione explicanda sunt ejus verba initio orat. *ἑτοίμως οὕτως* pag. 4 v. 4. Idem patet ex locis pag. 8 v. 14 ss., pag. 9 v. 18, quae omnino conferantur.

Difficilior et primo adspectu nostrae sententiae contrarius fere locus est pag. 9 initio: *οὐ τοίνυν ἐκ τούτων μόνον δῆλον ἐσθ', ὅτι τούτων ἕνεκα ἐρρήθη τὸ προβούλευμα, ὧν λέγω, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ ψηφίσματος αὐτοῦ μαρτυρία τίς ἐστιν εὐμεγέθης.* Hic enim manifesto a se invicem distinguuntur Probuleuma et Psephisma, ita ut ex eo loco fere conficeres, post suffragia lata hanc habitam fuisse orationem: statuendum tamen videtur, oratorem per anticipationem Probuleuma illud vocare Psephisma, quod Aristocratis nomen ei praescriptum et, quatenus ad eum attinebat, decretum erat, ratione autem senatus Probuleuma manebat et revera factum fuisset decretum, si populus illud scivisset, quod spectaverat Aristocrates. Huic interpretationi favent sequentia, ubi decretum, quale ab Aristocrate latum erat, examinat. Caeterum multis locis hac anticipatione usus est orator; v. c. pag. 5 v. 2, v. 9, pag. 6 v. 15 et passim.

Ex his jam satis manifestum est, quod initio diximus, ante suffragia lata decretum ejusque latorem in jus vocatum fuisse. Unus tamen locus restat, qui quoniam difficultate non caret, nobis non omittendus est. Nimirum pag. 35 v. 25 ss. haec objicit Aristocrates: *ἄκυρόν ἐστι τὸ ψήφισμα, προβούλευμα γάρ ἐστιν· ὁ νόμος δ' ἐπέτεια κελεύει τὰ τῆς βουλῆς εἶναι ψηφίσματα. ὥστε κἂν αὐτοῦ νῦν ἀποψηφίσησθε, ἥ γε πόλις φλαῦρον οὐδὲν πείσεται κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦτο*: i. e.: « Nulla psephismatis auctoritas « est, nam illud adhuc Probuleuma, i. e. *ψήφισμα βουλῆς* est; lex autem sancivit, *ψηφίσματα βουλῆς* « in unum tantum annum potestatem habere:" quae verba Platnerus op. laud. ita explicat: « Der « vorschlag des Aristocrates ist wegen der eingelegten klage ohne gesetzliche Kraft: wird er von « den Richtern bestätiget, so gilt er in Ermangelung der Volksgenehmigung, wie alle Senats- « beschlüsse, nur ein Jahr. Derselbe hatte also an sich, wenn er weder von dem Volke noch von « den Richtern bestätiget wurde, durchaus keine rechtliche Wirksamkeit." — Statuere igitur videtur Platnerus, *προβουλεύματα*, si a judicibus comprobata essent, tamquam *ψηφίσματα βουλῆς* in annum valuisse. Hoc ego, si quid valeat sententia mea, non ita dixerim: contra Platnerus sibi ipse obloqui mihi videtur. Paullo enim ante dicit: « Und dass der Senat nicht ohne Zustim- « mung des Volks Verordnungen der Art, wie sie der Vorschlag des Aristocrates enthielt, tref- « fen konnte, bedarf keines Beweises:" pag. 26 autem de Probuleumate haec dicit: « Wurde « es dem Volke nicht vorgelegt oder etc., so stand unbezweifelt demjenigen, der es gegen sich « gelten lassen sollte, die Einrede der Ungultigkeit zu:" multis denique aliis locis judicibus

legum sanciendarum auctoritatem omnino denegat; loco autem citato eam illis potestatem revera tribuit, dicit enim: „Wird es von den Richtern" etc.

Schömannus contra de com. Athen. p. 151 vanam esse dicit distinctionem in annua et perpetua decreta, sed omnia omnino Scta, etiam ea, quae proprie *προβουλεύματα* erant, minimum *ἐπέτεια* fuisse, nisi populus in comitiis aliquid contrarium scivisset, tunc enim statim irrita fuisse Scta. — Ex hujus igitur sententia *προβουλευμάτων* quoque, (si modo sequentes 500 senatores acta antecedentium non rescinderent, neque in *ἐπιχειροτονίαις* accusarentur, quo casu etiam *ψηφίσματα βουλῆς* proprie sic dicta *ἄκυρα* erant) perpetua auctoritas fuit, etiamsi a populo rata facta non essent, veluti in hoc Aristocratis decreto locum habere potuit. Hoc si verum est, non video, quare Aristocrates vocem *προβούλευμα* in *ψήφισμα βουλῆς* mutarit; contra ea commutatio indicare mihi videtur, nullam *προβουλευμάτων* per sese fuisse auctoritatem: idque cum legislatoris mente convenire puto, qui nimirum in iis rebus, quibus probuleumate opus esse sancivit, non jussit senatum aliquid certi statuere, sed, ut Ulpianus dicit, investigare tantum, *εἰ ἔχει βλαβήν τινα ἢ κακουργίαν.* Mihi igitur hic locus ita explicandus esse videtur. Aristocratem nimirum puto fuisse *βουλευτήν* atque eum in senatu de tutando Charidemo verba fecisse ibique fortasse persuasisse, ut decretum senatus de ea re fieret. Eo enim tempore senatus auctoritatem non certis ita finibus circumscriptam fuisse arbitror et saepe de iis rebus decrevisse videntur 500, quae proprie a populo scisci debuerant. Hoc autem Aristocratis factum indicare videntur verba pag. 8 v. 15: *ἡτοίμαστο δ'αὐτοῖς καὶ προδιώκητο* etc.: quod enim ibi *προβούλευμα* vocatur, id ex eo explicandum esse censeo, quod revera Aristocrates, postquam Aristomachus in concione Charidemum laudaverat, senatum permovit, ut *ψήφισμα* suum ad majorem auctoritatem in Probuleuma mutaret et populo proponeret. Quod cum fecisset senatus, *ὑπομόσασθαι* Euthyclem arbitror: quare nullius auctoritatis decretum erat: senatus enim, quod populo rem dijudicandam tradiderat, a suo jure destiterat; Euthycles vero prohibuerat, quominus populus de eo suffragia ferret. Tum autem Aristocrates hanc objectionem excogitasse videtur: „Senatus decretum, quod mea roga„tione *προβούλευμα* factum est et populo propositum, tua *ὑπωμοσία* iterum *ψήφισμα βουλῆς* factum „est, ideoque *ἐπέτειον* simul et *ἄκυρον*, quod annus, per quem qua tale valuisset, actionis *ἀνακρίσει* „etc. praeteriit, quare etiamsi id absolvitis, judices, nullum ex eo detrimentum captura sit „civitas." Huic hujus loci interpretationi oratoris refutatio favet, *οἱ δὲ γραψάμενοι* etc. Caeterum ex hoc loco etiam confici potest, saepe inter *ὑπωμοσίαν* et ipsam actionem magnum temporis spatium intercessisse; alioquin senatus decretum, quod annum valere dixerat Aristocrates, nunc non *ἄκυρον* vocaret. Hoc quoniam in hac actione singulare mihi videbatur, annotandum esse censui; de caeteris hujus *γραφῆς* ritibus et formis conferantur auctores supra laudati.

§ 7.

DE TRIBUNALI, PENES QUOD INSTITUTA EST ACTIO.

De hujus quoque § argumento multa tradiderunt iidem auctores, quare nos in ea tractanda breviores esse poterimus. Verosimillime nimirum instituta est haec actio in Heliaea, proprie sic

dicta (1). Ibi enim *τὰ δημόσια τῶν πραγμάτων* dijudicabantur; neque eodem semper 500 judicum, sed nonnumquam 1000, 1500 vel majore etiam numero constabat, qui ex 6000, initio anni sorte lectis, eodem modo eligebantur. Fortasse etiam in hac causa, quia gravissima erat, 1000 aut 1500 judices sedere; nam quamquam eorum sententia *προβούλευμα* non quidem *ψήφισμα* fieri poterat, tamen in hujusmodi causa populi vices quodammodo sustinebant, quippe qui prohibere possent, quominus *προβούλευμα* a populo sciscerétur. Plerasque causas in id judicium introducebant Thesmothetae, quamobrem Antiphon *τὴν ἡλιαίαν τὴν τῶν Θεσμοθετῶν* vocat. An vero etiam *παρανόμων γραφὴν* introduxerint, dubitant Meierus et Schömannus (2), sed quod saepe eorum nomine novem archontes simul indicantur et aliquoties ad archontem haec actio delata esse invenitur, ad totius archontum collegii *ἡγεμονίαν παρανόμων γραφὴν* pertinuisse putant.

Quominus autem his judicibus tam celebratis magnam juris scientiam legumque peritiam tribuamus, prohibent varia etiam in hac oratione loca, v. c. pag. 37 v. 7 et ss. et pag. 79 in fine, et verba *διδάσκειν*, quod oratorum, et *μανθάνειν*, quod judicum erat, hanc imperitiam confirmare videntur; ut nil mirum sit, oratorem hoc iis dicere audere: *ἐπειδὴ δὲ τοῦθ' ἕν ἐστι τῶν ἀδικημάτων, τὸ τοῦτον τὸν τρόπον καὶ λέγειν καὶ γράφειν ἐνίους, ὃν ἂν ἥκισθ' ὑμεῖς ὑπίδοισθ' ἔτι καὶ φυλάξαισθε* etc. pag. 5 v. 6 ss. Sitae ejus causae fuisse videntur in sortitione, qua nunc hi, nunc illi judices de uno eodemque actionum genere, nonnumquam de eadem actione jus dicebant, quum contra, si singulis juris generibus certi judices constituti fuissent: « so hätte dies unstreitig zu einer gründ- « lichen und erschöpfenden Kenntniss, welche sich nach und nach zur Wissenschaft ausbilden « konnte, führen und in die Geschäfte selbst mehr Ordnung und Uebereinstimmung bringen « müssen" etc. (3) — Eadem quoque illa sortitione, (praesertim postquam Cleon judicum mercedem, obolum, a Pericle aut Callistrato statutam auxit, et triobolon fecit, qua re pauperrimis et senioribus, militiae non amplius aptis, maxime favit,) judicia erant « fast ausschliesslich « in den Händen des niederen Volkes und namentlich der Bejahrteren (4)." His sortitionis incommodis initio occurrisse videtur Solon jurisjurandi, quod quisque judex jurare debebat, magnitudine et sanctitate. — Plura de sortitione videantur apud Schöm. in diss. de sortitione judicum.

(1) Celeberrimum erat judicium et ab eo reliqua *δικαστήρια* denominata inveniuntur, veluti universi *δικασταὶ* ab iis, qui in eo judicio jus dicebant, *ἡλιασταὶ* vocati sunt. (2) Op. laud. p. 60 et Platn. p. 51 tom. II.
(3) Cf. Platnerus Op. laud. pag. 70 tom. I. (4) Meier et Schöm. Op. laud. pag. 137.

PARS ALTERA.

ORATIONIS INTERPRETATIO.

§ 1.

ARGUMENTUM.

Exposita actionis historia, forma, caet., jam ad ipsius orationis argumentum transeamus, quod quidem tribus verbis absolvere possem: nimirum ostendit orator, *παράνομον* et *ἀσύμφορον* esse decretum, eumque, in cujus gratiam scriptum est, tali dono esse indignum. Paullo tamen latius investigare, quibus argumentis singula ea accusationis capita probet adversariique objectiones refutet, non alienum puto: nec tamen omnia ejus argumenta, praesertim ea, quae multis, imo prorsus iisdem ac orator verbis exponere opus esset, enucleabo.

I. Primum igitur *τὸ παράνομον* hoc modo probat:

Leges, quas *κυριοτέρας* esse oportet decretis sive senatus sive populi, quarumque nullam in singulos homines ferri licet, decreto suo abrogavit Aristocrates et capitales quidem easque gravissimas ac simul cum iis sanctissima judicia, in quibus secundum eas jus dicitur. His enim legibus, ut ex allatis patet, maxime curatur, ut reus ante justorum, i. e. *κλήσεως, κρίσεως, μαρτυρίας, διωμοσίας* cet. particeps fiat, quam de poena statuatur: cavetur, ne quid etiam damnatus ab adversario patiatur, ne *ἀπαγωγῆς* actioni ubicumque subjectus sit: iisdem accurate inter homicidam voluntarium et invitum distinguitur; quaedam caedes justas ob causas perpetratae excusantur, justi persequendi modi statuuntur et graves denique poenae in ipsorum transgressores sanciuntur. — Aristocrates autem eas omnes neglexit, partim quod statim post accusationem poenam sancivit, nulla *κρίσεως* cet. facta mentione; partim universe scribens *ἐάν τις ἀποκτείνῃ* non accurate distinxit, a quonam et quonam modo interficeretur Charidemus: poenam denique sancivit legibus vetitam et homicidae persequendi modum statuit injustissimum.

Quod autem objicit Aristocrates, se revera *κρίσεως* mentionem fecisse, id falsum esse ex ipsius decreti verbis patet: scripsit enim: *ἐὰν δέ τις ἀφέληται ἢ πόλις ἢ ἰδιώτης, ἔκσπονδος ἔστω· οὐκ ἐὰν μὴ παράσχῃ εἰς κρίσιν τὸν ἀφαιρεθέντα, ἀλλ' ὅλως εὐθύς.* — De altera ejus objectione: *ἄκυρόν ἐστι τὸ ψήφισμα, προβούλευμα γάρ ἐστιν*, supra jam vidimus in § de actionis forma. — Quod denique dicere audet: *ὡς ἄρα πολλὰ τοιαῦτα ἤδη γέγονε ψηφίσματα πολλοῖς*, non justa causa est, cur etiam hoc ratum fiat: imo magis ideo improbandum esse videtur, quod, veluti si quis eorum qui talia decreta promulgarunt, damnatus fuisset, hoc Aristocrates non scripsisset, ita etiam, si iste nunc damnatur, alius non promulgabit.

Aliorum autem, qui eadem hac actione in jus vocati erant, excusatione, se contra leges quidem, attamen utile quiddam civitati tulisse, jam per se falsa et stulta, quod judicem secundum leges jus dicere necesse erat, Aristocratem minime uti posse dicit, quod ejus decretum simul et *παράνομον* et *ἀσύμφορον* est: atque ita jam ad alterum accusationis caput transit orator, quod iterum multis argumentis atque exemplis ex historia petitis luculenter probat. Et primum quidem *ἀσύμφορον* decretum judicandum est, quod Athenienses Chersonneso privabit: trium enim regum

inter ipsos invidiam, Chersonnesi *φρουρὰν μεγίστην καὶ βεβαιοτάτην* tollit, Charidemo, Cersobleptae duci, quaecumque moliendi *ἄδειαν* praestans, duorum autem reliquorum ducibus metum injiciens, ne quid committant in eum, quem ab Atheniensibus ita custoditum videant, ut antea Miltocythes a Cotye persequendo destitit Atheniensium decretis perterritus: quo facto se auxilio regum illorum privabunt Athenienses nec *multis exemplis edocti*, ullam ignorantiae excusationem afferre poterunt, si quid in Chersonnesum atque igitur in ipsos moliatur Cersobleptes, quod certo hunc facturum esse, etiamsi non ita magnum lucrum, imo damnum ex eo bello capturus sit, ex Philippi, Cotyos aliorumque exemplis, qui omnia ad *πλεονεκτεῖν ἐπιθυμίαν* gerunt et inter quos Cersobleptes quoque numerari potest, conficere licet. — Neque ipse Charidemus, nulla adhuc vitae ejus ante actae ratione habita, in posterum fidus futurus existimandus est, quod, jure civitatis ab Atheniensibus impetrato, non Athenis habitare instituit; qua re indicavit, se id tantum flagitasse, ut ab Atheniensibus honorari videretur; a quo genere hominum nihil sanctum haberi, nec quidquam fidum exspectari posse, ex exemplo Pythonis apparet. Neque etiam Cersobleptes, in cujus commodum hoc Aristocrateo dono abutetur Charidemus, nec in ipsum, neque in Athenienses constanti fide erit; sed veluti quondam in Iphicratem Cotys, ita in Charidemum Cersobleptes, per eum magnus et potens factus, ingratus erit. — Quantam denique ignominiam sibi ipsi injungerent Athenienses, si tali homini *βασιλεῖ στρατηγοῦντι καὶ ξεναγοῦντι* potestatem darent impune vexandi *καὶ τοὺς τὴν Εὐρώπην οἰκοῦντας Ἕλληνας*, cum ipsi Lacedaemonios, qui *τοὺς τὴν Ἀσίαν οἰκοῦντας* pace Antalcidea *ἔγραψαν ἐξεῖναι δρᾶσαι πᾶν ὅ, τι ἂν ἐθέλῃ βασιλεὺς (ὁ Περσῶν)*, vehementer accusaverint.

Tertio denique accusationis capite vitam Charidemi anteactam exponit, ex qua, missis iis, quae *στρατιώτης ὢν, ἐν σφενδονήτου καὶ ψιλοῦ μέρει ἐναντία ἐστράτευται τῇ πόλει*, ostendit, hostili eum semper erga Athenienses animo fuisse: nimirum, ut pag. 66 succincte conjungit ea, quae ante latius explicuerat, *τὸ πρῶτον ἠδίκει Κηφισόδοτον· πάλιν φοβηθεὶς Ἀθηνόδωρον, ἐπάνσατο· αὖθις ἠδίκει Χαβρίαν, πάλιν ὡμολόγει Χάρητι· πάντ' ἄνω καὶ κάτω πεποίηκε καὶ οὐδὲν ἁπλῶς οὐδὲ δικαίως ἔπραξε.* Neque etiamnum Charidemum id *τοῦ καιροφυλακεῖν* consilium abjecisse, patere ex eo, quod singulis pactis, etiam his ultimis, Cardiam urbem Cersobleptae vindicaverat, eo nimirum animo, ut iste, rebus in Thracia compositis, in Chersonnesum irruendi *ὁρμητήριον* haberet.

Duabus denique Aristocratis objectionibus refutatis: altera, « Cersobleptem et Charidemum antea « quidem civitati adversatos fuisse, nunc autem fidos futuros neque oportere Athenienses *μνησικακεῖν;*" altera, « Charidemum, si improbetur decretum, desperaturum et falsa de Atheniensibus suspicaturum:" orationi finem imponere potuisset: ante tamen Athenienses, memorata majorum in distribuendis honoribus consuetudine, incitat, ut eam imitentur, neque ab oratoribus lucri causa dicentibus decepti, civitatem in perniciem ruere patiantur aliisque parvis et contemtis populis, qui praemia, jus civitatis, cet. anxie ac parce distribuunt, consilio et prudentia cedere videantur.

§ 2.

LEGUM INTERPRETATIO.

In his legibus interpretandis hanc mihi viam sequi proposui, ut primum varias de cujusque legis verbis virorum doctorum sententias et codicum lectiones praecipuas enumerarem, quaeque mihi optimae viderentur, eligerem; tum universe earum sensum traderem ac denique, quae mihi in iis explicanda esse putarem, pro meis viribus exponerem: quorum tamen nonnulla, quippe difficiliora, viris doctioribus expedienda relinquere debebo.

Prima igitur lex, quae invenitur pag. 11, haec est.

Δικάζειν δὲ (τὴν βουλὴν) τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας καὶ πυρκαϊᾶς καὶ φαρμάκων, ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς.

De hujus legis verbis nulla fere controversia est: nam quod Bekkerus aliique omiserunt *τὴν βουλὴν*, id exigui est momenti: notum enim est, *ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ*, omissa voce *βουλὴ*, usurpari: attamen in antiquae legis definitione non valde me offendit addita: in antiquae legis definitione dico, quoniam, de quo postea videbimus, Draconis vel Solonis est et illorum tempore nondum Areopagus *δικαστηρίου* nomine, sed *κατ' ἐξοχὴν βουλῆς*, insignis erat.

Vocem copulativam *δὲ* initio legis additam esse arbitror, quod haec lex in catalogo alias de Areopagi muneribus leges sequeretur cum iisque conjuncta esset. Singulis enim judiciis et magistratibus statutae erant leges, secundum quas illis agendum erat. Ita infra p. 27 v. 18, occurrunt Areopagi *δικαστηρίου* (oratoris tempore jam hoc nomine celebrati) *γεγραμμένοι νόμοι* et ibid. v. 22: *οἱ παρὰ Παλλαδίῳ γεγραμμένοι νόμοι*, etc. (1).

Sensus autem legis hic est: « Jus dicito senatus Areopagiticus de caede et vulnere voluntario « et incendio, item siquis veneno dato quemquam interfecerit."

Oriuntur de hac lege quaedam quaestiones: sunt autem hae praecipuae:

I. Quinam ritus observabantur in dijudicandis istis actionibus?

II. De quibusnam hujus generis causis Areopago, de quibusnam Ephetis judicium permissum fuit?

III. A quibusnam *δίκαι φονικαὶ* institui poterant, et an variis modis?

IV. Nullumne erat discrimen, utrum civis Atheniensis civem occidisset, an civis peregrinum, an peregrinus civem, an denique peregrinum peregrinus?

V. Quaenam poena variis criminibus, in hac lege enumeratis, infligebatur? et num eadem, si civis, ac si peregrinus ea perpetravisset?

I. Posteaquam caedis actio a Rege in Areopagum introducta erat (pertinebant enim ad hujus jurisdictionem omnes de caede dicae, de qua re, ut et de *κλήσει*, ad legem sequentem videbimus), primum, ut Dem. pag. 26 hujus orat. v. 11 tradit, jurabatur et ab actore et a reo *κατ' ἐξωλείας αὑτοῦ καὶ γένους καὶ οἰκίας*, et quidem *οὐδ' ὁ τυχών τις ὅρκος, ἀλλ' ὃν οὐδεὶς ὄμνυσιν ὑπὲρ οὐδενὸς ἄλλου, στὰς ἐπὶ τῶν τομίων κάπρου καὶ κριοῦ καὶ ταύρου, καὶ τούτων ἐσφαγμένων ὑφ' ὧν δεῖ καὶ ἐν αἷς ἡμέραις προσήκει.* Ceterum actoris jusjurandum plerumque vocabatur *προωμοσία*, rei *ἀντωμοσία*, quamquam utrumque

(1) Cf. etiam de hac re Meier et Schöm. p. 170, ubi plura afferuntur exempla.

διωμοσίας nomine fertur. Cf. pag. 27 v. 4 huj. orat. Dignus etiam qui huc afferatur locus est Antiph. *περὶ τοῦ Ἡρώδου φόνου*, pag. 130 v. 32 ed. Steph., quoniam ex eo pars jurisjurandi confici potest: *τοῦτο δὲ δέον σε διωμόσασθαι ὅρκον τὸν μέγιστον καὶ ἰσχυρότατον, ἐξωλείαν αὐτῷ* (fortasse melius *σαυτῷ*) *καὶ γένει καὶ οἰκίᾳ τῇ σῇ ἐπαρώμενον, ἢ μὴν μὴ ἄλλα κατηγορήσειν ἐμοῦ, ἢ εἰς αὐτὸν τὸν φόνον ὡς ἔκτεινα*, etc.; item Lys. in priore orat. in Theomn. pag. 117 v. 13: *ὁ μὲν γὰρ διώκων, ὡς ἔκτεινε διόμνυται, ὁ δὲ φεύγων, ὡς οὐκ ἔκτεινεν.*

Deinde sequebatur utriusque *λόγος*; eumque bis utrique concessum fuisse conjici potest ex loco Dem. pag. 27 v. 6 huj. orat.: *τὸν πρότερον δ' ἔξεστιν εἰπόντα λόγον μεταστῆναι*: usus enim comparativi *πρότερον* huic opinioni ansam dat. Caeterum ex altera Lysiae in Theomnestum oratione patet, alteram illam orationem saepe fuisse repetitionem prioris *λόγου*. Ex loco Dem. modo laudato apparet, reum habita priore apologia in exsilium ire potuisse, neque eum impedire cuiquam licuisse dicit orator ibid. v. 7: *καὶ οὔθ' ὁ διώκων οὔθ' οἱ δικάζοντες, οὔτ' ἄλλων ἀνθρώπων οὐδεὶς κύριος κωλῦσαι.* Quare autem non licuerit, idem docet ibid. v. 10: *ὅτι ταῦτ' ἐξ ἀρχῆς τὰ νόμιμα διαθέντες οὐκ ἐπέθεντο τοῖς ἀτυχήμασιν, ἀλλ' ἀνθρωπίνως ἐπεκούφισαν, εἰς ὅσον εἶχε καλῶς, τὰς συμφοράς* (1). Caeterum non licebat actori neque reo *προοιμιάζεσθαι, μηδ' οἰκτίζεσθαι, μηδ' ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν.* Cf. Antiph. *περὶ τοῦ χορευτ* pag. 142 v. 20: *καὶ τοῦ νόμου οὕτως ἔχοντος εἰς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα κατηγορεῖν*: clarus locus etiam de hac re est apud Lysiam *Ἀπολογ. πρὸς Σίμωνα* pag. 100 v. 17 ss.: *ἐβουλόμην ἂν ἐξεῖναί μοι παρ' ὑμῖν καὶ ἐκ τῶν ἄλλων ἐπιδεῖξαι τὴν τούτου πονηρίαν* etc., et v. 26: *ἀλλ' ἐπειδὴ παρ' ὑμῖν οὐ νόμιμόν ἐστιν ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν.* Quod si nihilominus faceret actor aut reus, eum a dicendo prohibebat praeco. Hoc statutum esse post Phrynen absolutam tradit Athen., lib. XIII pag. 590. Petitus legem Soloni tribuit, pag. 607 ed. Wess. Hujus instituti causa fuisse videtur, quam tradit Aristot. Rhet. lib. I cap. 1, quod non oportebat judicum commovere iram, aut invidiam, aut misericordiam; sed nudam proponere causam, ut secundum omne jus judicare possent (2).

Ad utriusque *λόγον* etiam testes andiebantur. Hos item juratos testimonia dixisse recte mihi Heffterus op. laud. pag. 364, et ante eum Wess. ad Petit. pag. 606, qui item judices juratos fuisse docet, ex loco Antiph. de caed. Herod., pag. 130 v. 38, confecisse videntur, quo loco *τὰ νόμιμα* ab actore neglecta enumerat orator, inter quae etiam haec memorat: *ἀνώμοτοι δὲ οἱ μάρτυρες καταμαρτυροῦσι· δέον αὐτοὺς τὸν αὐτὸν ὅρκον σοι διομοσαμένους καὶ ἁπτομένους τῶν σφαγίων καταμαρτυρεῖν ἐμοῦ.* Cui loco addas Lysiam *περὶ τραύματος ἐκ προνοίας περὶ οὗ καὶ πρὸς ὃν* p. 101 v. 6: *ἀλλ' οὐκ ἐστ' αὐτοῖς μαρτυρῆσαι μὴ διομοσαμένοις περὶ τῆς αἰτίας, ἧ* (fortasse melius *ἧς*) *ἐγὼ φεύγω.*

Hisce peractis sequebatur *κρίσις τοῦ δικαστηρίου.* Calculos in ligneam urnam conjiciebant ii judices, qui condemnabant, qui absolvebant, in aeneam (3). Si par esset absolventium et damnantium suffragiorum numerus, reum absolutum fuisse patet ex loco Antiph. de caed. Herod. p. 135 v. 25:

(1) Idem probavit Plato in lib. de legib. tom. VI pag. 272 ed. Lips. in fine: *φυγὼν δὲ καὶ μὴ θελήσας κρίσιν ὑποσχεῖν φευγέτω ἀειφυγίαν.*

(2) Cf. Antiph. de caede Herodis, pag. 130 v. 35: *ἐν ᾧ* (nimirum *ἐν τῷ εἰς αὐτὸν τὸν φόνον κατηγορεῖν*) *οὔτ' ἂν κακὰ πολλὰ εἰργασμένος ἠλισκόμην ἄλλῳ ἢ αὐτῷ τῷ πράγματι, οὔτ' ἂν πολλὰ ἀγαθὰ εἰργασμένος, τούτοις ἂν ἐσωζόμην τοῖς ἀγαθοῖς.*

(3) Poll. VIII, 10, 123.

εἴπερ δὲ καὶ τῶν ψήφων ὁ ἀριθμὸς ἐξ ἴσου γενόμενος τὸν φεύγοντα μᾶλλον ὠφελεῖ ἢ τὸν διώκοντα. Si autem judicaret senatus, reum insontem esse actoremque falsa protulisse, tum huic nulla poena irrogabatur: nimirum satis eum habere putabant ἐπενεγκάμενον τὴν ἐπιορκίαν τοῖς ἑαυτοῦ παισὶ καὶ τῷ γένει. Dem. p. 26 v. 25 etiamsi quintam suffragiorum partem non tulisset (1). Pollucis autem locus lib. VIII cap. 6, quem Petitus p. 606 affert ad probandum, actorem hoc casu mille multatum fuisse drachmis, potius ad alias γραφάς, quas item ibi recensuit Pollux, referendus est, quam ad hasce de caede; cui opinioni favere mihi videntur verba τῷ βουλομένῳ: nam actiones de caede tantum cognati instituere poterant, ut post videbimus, et post illa verba subaudire τῶν προσηκόντων μέχρις ἀνεψιαδῶν non conveniret caeteris γραφαῖς, quas etiam enumeraverat Pollux, quae nimirum a quolibet cive, qui accusandi alicujus potestatem habebat, institui poterant. Eo loco igitur inde a ταύτας τὰς γραφὰς ad χιλίας Pollucem excludere puto actiones de caede. Reo autem absoluto peragenda erant sacra Plutoni, Mercurio et Telluri, quorum statuae ibi erant consecratae. De poena, qua condemnatus reus afficeretur, postea videbimus.

Ab hac autem quaestione discedam, postquan causas, cur ita religiose haec crimina tractata fuerint, tradidero. Ad has demonstrandas princeps locus sit Antiph.: κατηγορία φόνου περὶ τοῦ λέγοντος ἀμύνεσθαι, p. 125 v. 22 et ss.: Ὅτε γὰρ θεὸς, βουλόμενος ποιῆσαι τὸ ἀνθρώπινον γένος, τοὺς πρῶτον γενομένους ἔφυσεν ἡμῶν τροφέας τε καὶ παρέδωκε τὴν γῆν καὶ τὴν θαλάσσαν, ἵνα μὴ σπάνει τῶν ἀναγκαίων προαποθνήσκοιμεν τῆς γηραιοῦ τελευτῆς. ὅστις οὖν τούτων ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀξιωθεὶς τοῦ βίου ἡμῶν, ἀνόμως τινὰ ἀποκτείνει, ἀσεβεῖ μὲν περὶ τοὺς θεούς, συγχεῖ δὲ τὰ νόμιμα τῶν ἀνθρώπων· ὅ τε γὰρ ἀποθανὼν, στερόμενος ὧν ὁ θεὸς ἔδωκεν αὐτῷ, εἰκότως θεοῦ τιμωρίαν ὑπολείπει τὴν τῶν ἀλιτηρίων δυσμενείαν, ἣν οἱ παρὰ τὸ δίκαιον κρίνοντες ἢ μαρτυροῦντες, συνασεβοῦντες τῷ ταῦτα δρῶντι, οὐ προσῆκον μίασμα εἰς τοὺς ἰδίους οἴκους εἰσάγοντες. ἡμεῖς τε οἱ τιμωροὶ τῶν διεφθαρμένων, εἰ δὶ ἄλλην τινὰ ἔχθραν τοὺς ἀναιτίους διώκομεν, τῷ μὲν ἀποθανόντι οὐ τιμωροῦντες, δεινοὺς ἀλιτηρίους ἕξομεν τοὺς τῶν ἀποθανόντων προστροπαίους, τοὺς δὲ καθαροὺς ἀδίκως ἀποκτείνοντες, ἔνοχοι τοῦ φόνου τοῖς ἐπιτιμίοις ἐσμέν. ὑμᾶς τε ἄνομα δρᾶν πείθοντες καὶ τοῦ ὑμετέρου ἁμαρτήματος ὑπαίτιοι γιγνόμεθα.

Tria hic memorantur gravissima momenta ad pie atque anxie de talibus criminibus judicandum.

I. Quod dii neglecti et jura humana ab interfectore violata sunt.

II. Quod interfectus vindicari debet.

III. Quod, quum dii etiam ejus ultores sint (alibi legi: οἶμαι δὲ καὶ τοῖς θεοῖς τοῖς κάτω μέλειν, οἳ ἠδίκηνται), si judices impie judicant et actor propter privatas inimicitias talia crimina profert, ipsi caedem perpetrant atque igitur deorum vindictae obnoxios se reddunt. Aliis locis additur etiam hoc, ut urbs μιαινομένη purgetur, et interfector justa afficiatur poena, v. c. in Antiph. loco ἐκκατηγορίας φόν. ἀπαρασκ., p. 119 v. 9· βοηθεῖτε μὲν τῷ ἀποθανόντι, τιμωρεῖσθε δὲ τὸν ἀποκτείναντα, ἁγνεύετε δὲ τὴν πόλιν. Aliis locis etiam hoc memoratur, ut propinquorum interfecti infortunium justa interfectoris poena allevetur, v. c. apud Antiph. in ἐκκατηγορίας τῷ ὑστέρῳ φόνου ἀκουσίου, p. 124 v. 1: ἀπάγοντες τιμωρεῖσθε αὐτὸν, αὐτοί τε μὴ μεταλάβητε τῆς τούτου μιαρίας· ἡμῖν δὲ τοῖς γονεῦσιν, οἳ ζῶντες κατορωρύγμεθα ὑπ' αὐτοῦ, δόξῃ γοῦν ἐλαφροτέραν τὴν συμφορὰν καταστήσατε.

Audiamus denique ipsum Antiphontem de caede Herod. p. 139 v. 41, hanc nostram senten-

(1) Matth. op. laud. p. 165, ex loco hui, orat. p. 31 v. 11 ss., posuit, mille drachmis multatum fuisse actorem, nisi quintam suffragiorum partem tulisset. At hoc mihi tantum in illa duriori rei persequendi ratione (ἀπαγωγῇ) locum habuisse videtur.

tiam, e scriptoribus quaesitam, affirmantem: *αὐτῶν δὲ τούτων ἕνεκα οἵ τε νόμοι καὶ αἱ διωμοσίαι καὶ τὰ τόμια καὶ αἱ προῤῥήσεις καὶ τἆλλ' ὅποσα γίγνεται τῶν δικῶν ἕνεκα τοῦ φόνου, πολὺ διαφέροντά ἐστὶν ἢ καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις· ὅτι καὶ αὐτὰ τὰ πράγματα περὶ ὧν οἱ κίνδυνοι, περὶ πλείστου ἐστὶν ὀρθῶς γιγνώσκεσθαι· ὀρθῶς μὲν γὰρ γνωσθέντα, τιμωρία ἐστὶ τῷ ἀδικηθέντι· φονέα δὲ μὴ αἰτῶν ψηφισθῆναι, ἁμαρτία καὶ ἀσέβειά ἐστιν εἰς τοὺς θεοὺς καὶ εἰς τοὺς νόμους.* Cf. idem *περὶ τοῦ χορ:* p. 141 in fine.

II. Secunda, quam nobis proposuimus, quaestio est: de quibusnam caedis actionibus Areopagitae, de quibusnam Ephetae judices erant?

Athenienses nonnulla judicia valde antiquae originis esse gloriabantur. In iis sunt judicia de caede, Areopagiticum nempe *καὶ τὸ τῶν Ἐφετῶν δικαστήριον*, i. e. *τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ, τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ* et *τὸ ἐν Φρεαττοῖ*, in quibus judiciis Ephetae judicasse videntur. Ex his Areopagiticum Cranai aut belli Trojani temporibus tribuunt, alterius autem originem ducunt e judiciis de caede involuntaria inter Argivos et regem Atheniensem Demophontem, in quo 50 Argivis et totidem Atheniensibus *ἐφέθη ἡ κρίσις*. Sed parum fidei habendum mihi videtur huic de rebus suis Atheniensium *ἀλαζονείᾳ*, quae nulla in re magis apparet, quam quod se ipsi *αὐτόχθονας* vocabant. Alii tamen horum judiciorum originem memorant non ita antiquam: ita sunt, qui Areopagum a Solone institutum esse putent Ephetarumque institutionem Draconi tribuant, inter quos est Pollux lib. VIII, 125, qui etiam tradit, hos ita appellatos fuisse, quod a Rege (*βασιλεῖ*, secundo archontum), qui ante illos de caede fortuita solus judicabat, ad ipsos *ἐφέσιμος ἡ δίκη* erat. At horum judiciorum originis investigatio non est hujus loci et insuper a viris doctis (1) susceptа. Hoc certum est, ambo de caede judicasse. Nunc autem quoritur, quaenam ejus generis actiones ad Areopagum, quaenam ad Ephetas pertinuerint. E variis opinionibus, quae de hac re allatae sunt, hanc sequi mihi optimum visum est: Areopagum, quem multis cum auctoribus tempori antesoloneo tribuo, olim in quinque judiciis, *ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ἐπὶ Παλλαδίῳ* etc. pro caussarum diversitate judicasse, eumque haec judicia fere semper retinuisse; si quidem Demostheni credendum est, qui pag. 25 hujus orat: in fine dicit: *τοῦτο μόνον τὸ δικαστήριον οὐχὶ τύραννος, οὐκ ὀλιγαρχία, οὐ δημοκρατία τὰς φονικὰς δίκας ἀφελέσθαι τετόλμηκεν*: quamquam fatendum est, aliquantum temporis hac jurisdictione Areopagum privatum fuisse et verosimiliter quidem inde a Pericle ad expulsos XXX tyrannos, atque oratorem aut Areopagi auctoritatem hic rhetorice auxisse, aut id temporis spatium, quo ea privatus fuit, minoris duxisse, quam ut ejus mentionem faceret. Per id tempus autem videntur Ephetae, jam a Dracone majore auctoritate adornati, potestatem ac famam suam auxisse, cum, dum Areopagitae etiam jurisdictione de *φόνοις ἑκουσίοις* privati erant atque illae actiones nihilominus dijudicandae erant, eae ipsis traditae fuerint. Attamen expulsis XXX tyrannis *φόνων ἑκουσίων* judicium Areopago restitutum fuisse videtur; id certe tempore habitae hujus orationis penes Areopagum fuisse satis manifesto ex oratione patet, v. c. ex p. 19: atque igitur Ephetae in quatuor reliquis judiciis judicasse videntur de caede fortuita etc., vid. orat. pag. 27 ss.

Quod autem Meierus et Schömannus in exordio operis de Lite Attica, p. 16 et 17 putant, minis arctis finibus circumscriptam fuisse Ephetarum jurisdictionem propter caussas, quae Areopago traditae erant dijudicandae, hoc mihi non item videtur. Nam, ut ex lege 3 p. 15 apparet,

(1) Imprimis a Matth. in Miscell. Phil. vol. I, p. 142 d. 159.

praeter alias de caede caussas omnes dicae de caede, in quibus homicida aliquam facti excusationem afferre poterat, ad Ephetarum jurisdictionem pertinebant; i. e. judicabant Ephetae, an caedes jure nec ne perpetrata esset et quidem *ἐν τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ δικαστηρίῳ*, cf. p. 28 v. 21 ss.: ita ut Areopago ea tantum judicia relinquerentur, in quibus investigabatur, utrum reus caedem perpetravisset nec ne, i. e. *ἐὰν ἀποκτείνῃ*, et quidem hanc ob causam, quod non *ἔξεστιν ἅπαντας εἰδέναι, τίς πότ' ἐστιν ὁ ἀνδρόφονος*. Areopago enim adimere omnem de hac re jurisdictionem valde temerarium mihi videtur et propter hanc ipsam orationem et propter multos alios locos classicos, quorum unum alterumve adscribere lubet. Lysiae nimirum in Apol. *πρὸς Σίμωνα* p. 98 v. 42: *ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι, ὦ βουλή, ῥάδιον εἶναι γνῶναι ὅτι ψεύδεται, οὐ μόνον ὑμῖν τοῖς εἰωθόσι σκοπεῖσθαι περὶ τῶν τοιούτων, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν.* Vox *βουλή* ubique in hac oratione obvia satis indicat habitam eam esse apud Areopagum. Et ejusdem Lysiae in Apologia de Eratosth. caede, p. 94 v. 30: *Ἀκούετε, ὦ ἄνδρες, ὅτι αὐτῷ τῷ δικαστηρίῳ τῷ ἐξ Ἀρείου πάγου, ᾧ καὶ πάτριόν ἐστιν καὶ ἐφ' ὑμῖν δέδοται τοῦ φόνου τὰς δίκας δικάζειν* etc. Quamquam posterior hic locus rursus magnam excitat difficultatem; tribuit enim Areopago judicium, quod secundum nostram sententiam modo dictam proprie ad Ephetarum jurisdictionem pertineret, de eo nimirum, qui jure se interfecisse dicebat. Fortasse igitur sic statuendum est: in Areopago de omnibus qualibuscunque caedibus judicatum fuisse, utrum a reo perpetratae fuissent nec ne, deinde apud Ephetas, utrum jure an injuria (1). Sed hanc ipsam conjecturam non in omnibus valere posse ipsa Apologia, e qua modo locum illum citavimus, docet; nam tum plane alius generis esse deberet neque in ea agi de jure, quo Eratosthenes a reo occisus erat, sed tantum investigari, utrum a reo interfectue esset nec ne.

Hanc igitur difficillimam quaestionem, quam pro meis viribus explicare conatus sum aut potius cujus ingratam obscuritatem ante oculos posui, viris doctis expediendam relinquo, libenter ignorantiam meam professus.

III. Jam accedamus ad tertiam quaestionem: a quibusnam actiones de criminibus in hac lege memoratis institui poterant?

Notum est, Athenis omnes publicas actiones, id est, quibus civitatis commodum continebatur, ab unoquoque, in quo inerant ea, quae ad accusandum requirebantur, institui potuisse.

Ab hac autem regula excipi actiones de caede, quippe quae tantum a cognatis interfecti institui possent, e multis patet scriptorum, imprimis oratorum locis, quamquam nihilominus eae, ut mihi videtur, ad civitatis commodum pertinebant.

Primum igitur nonnulla scriptorum loca indagemus, quibus id probetur; tum quasdam quaestiones, quae ex iis oriuntur, perpendamus aut potius enumeremus.

Primus et classicus locus est apud Dem. in orat. in Euerg. en Mnesib., p. 270 et 271 tom. IV, ex quo patet, licuisse tantum cognatis pro cognato et domino pro servo actionem de caede instituere. Res quae ibi narratur haec est: Orator habebat domi suae anum quamdam a patre manumissam: haec absente eo a Theophemo ita vulnerata erat, ut sex diebus postquam me-

(1) Matth. op. laud. aliam sententiam proposuit, p. 150 in not. 9, his verbis: «Itaque videri possit senatus Areopagiticus rem judicasse tantum si consilio parricidae eventus responderat, de consilio ipso, etsi eventu non congruente, Ephetae cognovisse in *τῷ ἐπὶ Παλλαδίῳ*; sed obstat Harpoerat:" nimirum in voce *ἐπὶ Παλλαδίῳ*.

dici ad illam adducti fuissent, moreretur. Adit igitur orator Exegetas, juris interpretes, ut ex iis sciscitetur, quid sibi in hac re agendum sit: respondent ei, ne actionem instituat, quod non *ἐν γένει τῆς ἀνθρώπου*, neque illa ejus *θεραπαίνα* erat, leges autem jubent eorum, nimirum cognatorum et domini, esse *τὴν δίωξιν*, id est jus persequendi homicidam, atque hoc in judicio jurejurando affirmandum esse. Provocandos igitur esse dicunt *ἐπὶ τῷ μνήματι τοὺς προσήκοντας*, ut illi *τὰ νόμιμα* interdicant *τοῖς δεδρακόσι*, *quoniam ipse non adfuerat, quum caedes perpetraretur neque alii testes caedis ei erant quam uxor et liberi.* Denique suadent illi, ut justa pro domo sua piacula faciat *et alia ratione*, si qua vult, *illam*, *vindicet.* Secundus locus est apud eundem in Orat. in Macart. tom. IV, p. 172, ubi leges ab oratore afferuntur praescribentes, a quibusnam cognatis actiones illae institui possint; quarum una haec est: *προεῖπεῖν τῷ κτείναντι ἐν ἀγορᾷ ἐντὸς ἀνεψιότητος καὶ ἀνεψιοῦ, συνδιώκειν δὲ καὶ ἀνεψιῶν παῖδας καὶ γαμβροὺς καὶ ἀνεψιοὺς καὶ πενθεροὺς καὶ ἀνεψιαδοῦς καὶ φράτορας.* Etiam lex ibi memoratur statuens, quosnam, siquis caedem involuntariam perpetraverit, placare oporteat; nimirum fratrem aut patrem aut filios interfecti, aut si hi deficiunt, contribules decem, si hi volunt.

Alia supersunt loca, ubi obiter hujus rei mentionem factam esse invenimus: v. c. in Antiph. *ἐκκατ*: *τῷ ὑστέρῳ περὶ τοῦ λέγοντος ἀμύνεσθαι*, p. 129 v. 12, *τὸν δὲ μιαρὸν τῷ χρόνῳ ἀποδόντες φῆναι, τοῖς ἔγγιστα τιμωρεῖσθαι ὑπολείπεται*: apud eundem de caed. Herod. p. 136 v. 15: *καὶ πολὺ ἂν δικαιότερον ἀλῴης σὺ τοῦ φόνου ἐμὲ ἀποκτείνας, ὑπὸ τῶν ἐμοὶ προσηκόντων, ἢ ἐγὼ ὑπὸ σοῦ καὶ τῶν ἐκείνου ἀναγκαίων.* Cf. etiam Lysias in orat. in Agor. p. 129 v. 4 et multis aliis locis.

Ex his igitur locis satis apparere mihi videtur, tantum cognatis aut domino interfecti licuisse caedis actionem instituere: attamen ex iis quaedam quaestiones sese mihi obtulerunt: et primam quidem ex Exegetarum verbis hisce, p. 270 v. 26 l. l.: *τάδε συμβουλεύομέν σοι, ἐπειδὴ αὐτὸς μὲν οὐ παρεγένου, ἡ δὲ γυνὴ καὶ τὰ παιδία, ἄλλοι δέ σοι μάρτυρες οὐκ εἰσὶν, ὀνόματι μὲν οὐδενὶ μὴ προαγορεύειν τοῖς δεδρακόσι τε καὶ κτείνασιν*: hanc quaestionem oriri puto: num quis, si caedi interfuisset perpetratae, aut illam perpetratam esse e satis certis testibus audivisset, interfectorem a *νομίμοις* arcere posset, etiamsi neque interfecti cognatus nec dominus esset. Ad hanc quaestionem affirmando respondere propter hunc locum cogor, quamvis frustra alibi ei auctoritatem quaesiverim: caussa autem, cur id licuerit, haec mihi fuisse videtur, ut quam celerrime et interfecto et *τῇ πόλει μιαινομένῃ* succurreretur. Eundem autem ipsam de caede actionem instituere non potuisse, ex eodem illo loco patere mihi videtur, ubi expressis verbis dicitur: *ἐπειδὴ αὐτὸς*, etc. *εἶτα πρὸς τὸν βασιλέα μὴ λαγχάνειν, οὐδὲ γὰρ ἐν τῷ νόμῳ ἐστί σοι.* Sed credo eum, qui caedi perpetratae adfuisset, statim postquam *προηγόρευε τῷ δεδρακότι*, cognatos interfecti caedis certiores facere debuisse, ut illi eam vindicarent, et si hi eum in judicio persequerentur, certo testimonium praebuisse.

Deinde oritur quaestio, quare ad *τοὺς προσήκοντας* interfecti et ad *δεσπότην* pertinueri caedis vindicatio. Huic quaestioni responsum in rerum natura et antiquo populi Atheniensium ingenio situm esse puto, ac praeterea ita ab Hefftero redditum, ut ejus verba repetere cogerer, si meam de hac re sententiam proferre vellem: ad illum igitur remitto op. laud. p. 144, ss.

Alia quaestio se mihi obtulit ex loco orat. in Macart. p. 173, ubi orator agit de iis, qui post caedem perpetratam domum expiare et interfectum sepelire debent, et haec dicit: *ἐπαγγέλλειν*

δὲ, περὶ μὲν τῶν δούλων τῷ δεσπότῃ, περὶ δὲ τῶν ἐλευθέρων τοῖς τὰ χρήματ' ἔχουσιν· ἐὰν δὲ μὴ ᾖ χρήματα τῷ ἀποθανόντι, τοῖς προσήκουσι τοῦ ἀποθανόντος ἐπαγγέλλειν (τὸν δήμαρχον). Ex his verbis patet, alios posse esse τοὺς τὰ χρήματα τοῦ ἀποθανόντος ἔχοντας, alios τοὺς τοῦ ἀποθανόντος προσήκοντας, et illis prius illa officia, τὰ νομιζόμενα vocata, mandata fuisse quam his. Cum hoc ita sit, quaeri potest, num id etiam ita fuerit in caede vindicanda, ut ii, qui interfecti haeredes instituti essent, non autem cognati, eam vindictam recipere coacti fuerint, si forte eveniret, ut non iidem essent haeredes, qui cognati. Hoc hanc ob caussam negare me posse puto: quod caedis vindicatio secundum antiquorum populorum mores non tam bonorum haereditate, quam sanguinis et religionis vinculo imponebatur, ideoque etiam nulla poena, ut supra ad primam de hac lege quaestionem dixi, illi irrogabatur, qui aliquem fortasse propter nimium amoris et religionis studium falso accusavisset. Caeterum actiones alias pecuniarias et omnia, quae ad pecuniam referri poterant, in quibus et funeris sumtus fuisse statuere possumus, ad haeredes pertinuisse puto.

Si nulli autem exstarent interfecti προσήκοντες et interfectorem tribules persequi nollent, (nam hoc ex illorum voluntate pependisse confici potest ex loco Dem. in Mac. p. 178 v. 4: αἰδεσάσθων οἱ φράτορες, ἐὰν θέλωσι, δέκα) num tum interfector impunis atque interfectus inultus manebant? Huic quaestioni brevissime respondit Hefft. op laud. p. 143 in fine: « Ueber die « Phratrie hinaus fand keine Blutrache statt." Attamen velim hoc certioribus argumentis probavisset. Mihi certe nullus locus sese obtulit, ex quo id confici possit. Nam loca, quae supra citavimus, quibus probatur ad προσήκοντας pertinuisse caedis vindictam, omnia προσηκόντων mentionem faciunt, atque igitur hos adesse statuunt neque ad hanc quaestionem referri possunt. Huic rei tamen aliquid lucis praebet et quod supra diximus, caedis vindicationem sanguinis vinculo imponi, quam ob rem, si nulli essent interfecti cognati, ab hac parte homicidae nihil timendum erat; et quod Antiph. περὶ τοῦ χορ. p. 141 v. 27 et ss. dicit, quodammodo explicat, quid interfector, culpae sibi conscius neque tamen in jus vocatus, fecerit, ut τοὺς θεοὺς, quos aeque caede offenderat, placaret et τὴν πόλιν expiaret: dicit autem haec: Ἡγοῦμαι μέντοιγε καὶ ὑμῖν τοῖς δικασταῖς περὶ πολλοῦ εἶναι τὰς φονικὰς ὀρθῶς διαγινώσκειν, μάλιστα μὲν τῶν θεῶν ἕνεκα καὶ τοῦ εὐσεβοῦς, ἔπειτα δὲ καὶ ὑμῶν αὐτῶν· ἐστὶ μὲν γὰρ περὶ τοιούτου αὐτοῦ μία δίκη· αὕτη δὲ μὴ ὀρθῶς καταγνωσθεῖσα, ἰσχυροτέρα ἐστὶ τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀληθοῦς· ἀνάγκη γὰρ ἐὰν ὑμεῖς καταψηφίσησθε, καὶ μὴ ὄντα φονέα μηδὲ ἔνοχον τῷ ἔργῳ, χρήσασθαι τῇ δίκῃ καὶ τῷ νόμῳ, εἴργεσθαι πόλεως, ἱερῶν, θυσιῶν, ἀγώνων· ἅπερ μέγιστα καὶ παλαιότατα τοῖς ἀνθρώποις. τοσαύτην γὰρ ἀνάγκην ὁ νόμος ἔχει, ὥστε καὶ ἄν τις κτείνῃ ὧν αὐτὸς κρατεῖ, καὶ μὴ ἐστὶν ὁ τιμωρήσων, τὸ νομιζόμενον καὶ τὸ θεῶν δεδιὼς, ἁγνεύει τε ἑαυτὸν καὶ ἀφέξεται, ὧν εἴρηται ἐν τῷ νόμῳ, ἐλπίζων οὕτως ἂν ἄριστα πράξειν. ἐστὶ μὲν γὰρ τὰ πλείω τοῖς ἀνθρώποις τοῦ βίου ἐν ταῖς ἐλπίσιν, ἀσεβῶν δὲ καὶ παραβαίνων τὰ εἰς τοὺς θεοὺς καὶ αὐτῆς ἂν τῆς ἐλπίδος αὐτὸς αὑτοῦ ἀποστεροίη. Καὶ οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν οὔτ' ἂν τὴν δίκην τὴν δεδικασμένην παραβαίνειν, πιστεύσας ὅτι οὐκ ἔνοχός ἐστι τῷ ἔργῳ· οὔτ' αὖ συνειδὼς αὐτὸς αὑτῷ ἔργον εἰργασμένος τοιοῦτον, μὴ οὐ χρῆσθαι τῷ νόμῳ. Primam hujus periodi particulam adscripsi, ut inde pateret, a sententia Areopagi aut alius de caede judicii provocari non potuisse, quod etiam magis apparet e loco ejusdem orat: p. 142 v. 5: καὶ οὐκ ἴσον ἐστὶ τὸν γὲ διώκοντα μὴ ὀρθῶς αἰτιᾶσθαι καὶ ὑμᾶς τοὺς δικαστὰς μὴ ὀρθῶς γνῶναι· ἡ μὲν γὰρ τούτου αἰτίασις οὐκ ἔχει τέλος, ἀλλ' ἐν ὑμῖν ἐστι καὶ τῇ δίκῃ, ὅ, τι δ' ἂν ὑμεῖς μὴ ὀρθῶς γνῶτε τοῦτο οὔκ ἐστιν ὅπῃ ἂν ἐνεγκών τις, τὴν αἰτίαν ἀπολύσαιτο.

Etiam haec quaestio se mihi obtulit: utrum lex *τοῖς προσήκουσι* tamquam officium imposuerit vindicare caedem, an id eorum voluntati permiserit. Hanc quaestionem primum explicare conabimur ex Atheniensium sententia de hac actione, tum videbimus, num pauca quae exstant veterum de hac re loca nostrae opinioni non adversentur.

Primum igitur verosimilius mihi videtur propter Atheniensium *φιλανθρωπίαν* et propter ea, quae saepe dixi; nempe caedis vindicationem tamquam beneficium interfecti consanguineis proximis concessum fuisse, lege nulla fuisse prohibitum, quominus *οἱ προσήκοντες* se cum interfectore conciliarent et propter alias caussas et propter hanc, quod illud officium nonnumquam nimis durum erat: v. c. si maritus interfecisset uxorem, quorum utrumque aeque amabat filius, tum profecto patrem caedis accusare filio omnino durum esse debuit. Si igitur illi *προσήκοντες* eo beneficio uti nollent, tum statuere eos lege ad id coactos fuisse absurdum foret.

Etiam lex, quam supra habuimus, obvia in orat. in Mac. p. 172, quaeque jubet, quinam propinqui persequi possint, nostrae sententiae non obstat. Hanc enim legem non latam fuisse, ut *τοῖς προσήκουσι* id officium mandaret, sed tantum ut statueret, nullis aliis id licere nisi his, ex toto illius loci tenore apparere mihi videtur. Hanc nostram opinionem jam conceperamus, quum relegentes Demosthenis in Theocrinem et in Pantaenetum orationes incidimus in ejusmodi loca, quibus eam firmari videbamns. Libet igitur illa adscribere et primum quidem locum ex orat. in Theocrin. tom. V, p. 132 in fine et init. p. 133: *οὐ πολλῷ τοίνυν χρόνῳ ὕστερον τῆς ἀποχειροτονίας τελευτήσαντος αὐτῷ τοῦ ἀδελφοῦ βιαίῳ θανάτῳ, τοιοῦτος ἐγένετο περὶ αὐτὸν οὗτος, ὥστ, ἀναζητήσας τοὺς δράσαντας καὶ πυθόμενος, οἵτινες ἦσαν, ἀργύριον λαβὼν ἀπηλλάγη.* Verum quidem est, hanc Theocrinis cum fratris interfectoribus reconciliationem ei hic vitio verti; nec tamen ex eo colligi potest lege prohibitam fuisse; tum etiam modum, quo id fecit Theocrines, potius reprehendere mihi videtur orator (nimirum quoniam id *ἀργύριον λαβὼν* fecerat), quam ipsum reconciliationis actum.

Alter locus est in orat. in Pantaen. tom. III, p. 82 v. 20 ss.: *καὶ τοῦθ' οὕτω τὸ δίκαιον ἐν πᾶσιν ἰσχύει, ὥστε ἄν τις ἑλών τιν' ἑκουσίου φόνου καὶ σαφῶς ἐπιδείξας μὴ καθαρόν, μετὰ ταῦτα αἰδέσηται καὶ ἀφῇ, οὐκέτ' ἐκβαλεῖν κυρίος τὸν αὐτόν ἐστιν.* Manifesto iterum ex hoc loco patet, quod posui, licuisse *τοῖς προσήκουσι* conciliare se cum interfectore, etiamsi istum caedis convicissent. Illa autem: *ἑλών τιν' ἑκουσίου φόνου καὶ σαφῶς ἐπιδείξας μὴ καθαρόν* explicanda mihi videntur de convictione interfectoris, antequam in judicium adductus fuerat, v. c. si *ἐπ' αὐτοφώρῳ* a *προσήκουσι* prehensus esset: nam si post institutam actionem ab ea desisteret actor, mille Drachmarum poena mulctabatur: et si statueremus, eam *αἴδεσιν* etiam post Areopagi condemnationem fieri potuisse, non parum hujus auctoritatem minueremus atque infringeremus, quippe a cujus judiciis provocari non poterat, ut supra vidimus. Caeterum ex iis, quae hunc locum sequuntur, patet, si *ὁ παθών*, antequam mortuus esset, interfectoribus ignovisset, nulli tum *συγγενῶν* licuisse illos reos agere (1);

(1) Etiam tum *καθαρμοὺς τῷ κτείναντι* peragendos fuisse credo, si quidem hac in re fides habenda est Plat. de legib. lib. IX, cap. 270 versus finem: *ἐὰν ὁστισοῦν ὁτῳοῦν ἀφιῇ τοῦτο ἑκών, ὡς ἀκουσίου γεγονότος τοῦ φόνου, οἵ τε καθαρμοὶ γιγνέσθωσαν ᾧ δράσαντι καὶ ἐνιαυτὸς εἷς ἔστω τῆς ἐκδημίας ἐν νόμῳ.* Etiam ex hoc loco videri possit illa *αἴδεσις τοῦ παθόντος* non omni culpa liberasse interfectorem, sed tantum criminis genus allevasse, ut v. c. *φόνον ἑκούσιον* in *ἀκούσιον* mutaret.

eam autem τοῦ παθόντος condonationem locum imprimis potuisse habere puto, cum v. c. ὁ παθὼν sumto, quod ipsi datum esset, veneno mortem appropinquare sentiret. Contra in loco Antiph. κατηγ. φαρμ. κατὰ τῆς μητρυιᾶς, p. 114 v. 27 ss., habemus exemplum τοῦ παθόντος, qui omnibus modis filium et caeteros ἀναγκαίους incitat, ut se ulciscantur.

Caeterum, quid τῷ κτείναντι faciendum esset, ut deos placaret et πόλιν μιαινομένην, si vel ab interfecto vel a προσήκουσι crimine liberatus esset, statuere non possumus propter auctorum de hac re silentium; et verba orat. in Pantaen. p. 82 v. ult.: ἂν ἀφεθῶσιν ἅπαξ, ἁπάντων ἐκλίει τῶν δεινῶν τοῦτο τὸ ῥῆμα ita explicare, ut iis nulli ritus, nulla sacrificia peragenda fuerint, paullo audacius mihi videtur: illa verba conjunctim cum antecedentibus ita interpretari malim, ut neque τοῖς ἀφεθεῖσι patriam relinquendam, neque eorum bona publicata, aut ipsos morte multatos fuisse: quaedem tamen iis sacrificia lustrationis causa peragenda fuisse et illos fortasse aliquantum temporis, sicut eos, quos nullus τιμωρῶν persequebatur, de quibus in quaestione anteced. locutus sum, a locis sacris et publicis abstinuisse (1) putem.

Denique non credo, si proximus τοῦ παθόντος προσήκων cum interfectore in gratiam rediisset, aliis προσήκουσι licuisse eum in judicio persequi: quod ex Atheniensium juris principio sequi mihi videtur, si princeps eorum, quorum caussa lex lata erat, cujusque plurimum intererat, ea uti nollet, tum reliquis etiam eam irritam fieri. Idem hoc patere mihi videtur ex loco laud. orat. in Theocr., ubi narratur quidem Theocrines pecunia corruptus ab accusatione fratris interfectorum destitisse, nullus tamen alius προσήκων traditur, qui eam istius loco receperit: atque in hac re dissentio ab Hefftero, qui op. laud. p. 449 contrarium posuit. Neque verba legis supra citatae in Macart. p. 172: συνδιώκειν δὲ καὶ ἀνεψιῶν παῖδας etc. meae opinioni obstare puto. Ea enim perinde explico ac Hefft. p. 146 not. 39, ut iis προσήκουσιν etiam interfectorem persequi solis licuerit, at addo, si non adessent illi ante memorati, quique erant proximi: si hi enim adessent, tantum συνδιώκειν eos potuisse puto et quod dixi, si hi ab accusatione desisterent, eos solos potuisse διώκειν non arbitror.

Ultima quaestio orta est e verbis orat. Dem. in Euerg. et Mnesib. p. 271: ἄλλῃ δὲ εἰ πῃ βούλει τιμωροῦ, id e. alio si vis modo vindica. Nimirum haec: num aliis modis homicidam accusare licuerit, quam per caedis actionem? Notum quidem est, de una eademque re variis saepe modis jus suum persequi potuisse Athenienses; attamen id etiam in rebus capitalibus locum habuisse e nullo alio loco quam hoc et ex Antiph. de caede Herodis confici potest. Helos enim, Antiphontis cliens, propter caedem ab accusatore secundum legem κακουργῶν vocatus erat in judicium Helia-

(1) Hanc conjecturam firmari video Platonis loco lib. IX, p. 272 *A.* Ὃς ἂν ἐκ προνοίας καὶ ἀδίκως ὁντινασοῦν τῶν ἐμφυλίων αὐτοχειρὶ κτείνῃ, πρῶτον μὲν τῶν νόμων εἰργέσθω, μήτε ἱερὰ μήτε ἀγορὰν μήτε λιμένας, μήτε ἄλλον κοινὸν ξύλλογον μηδένα μιαίνων, ἐάν τέ τις ἀπαγορείῃ τῷ δράσαντι ταῦτα ἀνθρώπων καὶ ἐὰν μή· ὁ γὰρ νόμος ἀπαγορεύει, καὶ ἀπαγορεύων ὑπὲρ πάσης τῆς πόλεως ἀεὶ φαίνεταί τε καὶ φανεῖται. Idem lib. IX de legib. etiam iis, qui justas ob caussas aliquem interfecerant, piacula perficienda esse constituit, pag. 265 Edit. Lips.: εἴ τις ἐν ἀγῶνι — καθαρθεὶς κατὰ τὸν ἐκ Δελφῶν κομισθέντα περὶ τούτων νόμον ἔστω καθαρός. Item iis, qui servum suum interfecerant, pag. 266: ἐὰν δὲ αὐτοῦ δοῦλον (κτείνῃ), καθηράμενος ἀπαλλαττέσθω τοῦ φόνου κατὰ νόμον.

sticum et ipse confitetur, si in hoc absolvitur, *δίκην φόνου* in se posse institui; et quamvis valde de ea re queratur, tamen non contra leges fuisse videtur: ita ut et propter hunc et propter Antiphontis locum statuere cogar, licuisse Athenis homicidam variis persequi actionibus idque tum quidem etiam iis licuisse, qui interfecti cognati non erant. Itaque quod Exegetae Theophemo l. l. suadent, ut alio modo anus interfectores persequatur, hoc eos indicare puto, ut instituat in illos v. c. *τραύματος ἐκ προνοίας* seu *αἰκίας* aut *βλαβῆς* aut *ὕβρεως γραφήν*.

Actiones de vulnere *ἐκ προνοίας* denique a quolibet cive, etiam eo, cui non directo damnum inflictum fuerat, potuisse institui patet ex Poll. lib. VIII c. 6. De actione *πυρκαϊᾶς* nihil aliud scimus, nisi quod Poll. lib. VIII c. 6 prodit, qui eam numerat inter actiones publicas et 1000 drachmarum periculum in hac actione accusatori fuisse tradit.

IV. Transeo ad aliam quaestionem, quam paucis tantummodo attingam, nimirum hanc: nullumne est discrimen, utrum civis Atheniensis civem an civis peregrinum an peregrinus civem an denique peregrinum peregrinus interfecerit? aliis verbis, num hi omnes eodem modo in judicio jussum persequi poterant?

Haec quaestio ex eo fluxit ideoque eam proposui, quod, sicut notum est, variae Athenis deberent esse ejus, qui aliquem accusabat, facultates: v. c. debebat esse civis *ἐπίτιμος*, compos mentis, in lexiarchico catalogo inscriptus etc. Si igitur civis civem occidisset, nulla difficultate video rem fuisse implicitam; quid vero, si civis peregrinum aut peregrinus civem. Primum monendum est, *τῶν ξένων* nomine universe contineri omnes, qui non sunt cives *γνήσιοι* aut *δημοποιητοὶ*, v. c. *ἰσοτελεῖς, πρόξενοι, μέτοικοι* etc. Si igitur horum aliquem civis Atheniensis interfecisset, num tum licebat illius cognatis istum civem in jus vocare? Hoc primo adspectu paullo durum videtur pro civis tunc temporis gravitate: attamen si accuratius id perpenderimus, affirmandum esse videbitur. Primum enim notum est, peregrinos istos etiam publicas in cives instituere potuisse actiones, quibus privatum ipsorum commodum directo continebatur: quaenam autem actio illud magis complectebatur, quam actio de caede, tamquam beneficium legibus *τοῖς προσήκουσι* concessa? Deinde videtur *ὁ ἀνδρόφονος*, simulac caedem perpetraverat, non amplius pro cive habitus, sed omnibus *ἱεροῖς καὶ ὁσίοις* privatus fuisse, ita ut nihil ab eo in judicio timendum restaret peregrino illum caedis accusanti. Revera autem homicidam statim post perpetratam caedem civitate exclusum fuisse optime patere mihi videtur ex loco hujus orat. p. 17 init: *τὸν γὰρ φυγάδα οὐ τὸ τῆς πόλεως προσεῖπεν ὄνομα, ᾗς οὐκ ἐστι μετουσία αὐτῷ, ἀλλὰ τὸ τοῦ πράγματος, ᾧ κατέστησεν αὐτὸν ἐκεῖνος ἔνοχον.* Denique si posterius hoc minus verum est, certo per *προστάτην* e civibus lectum jus suum persequi, seque per hunc adversus civem *τὸν κτείναντα* magis firmare poterant.

Eodem illo Prostata usum fuisse peregrinum, si a civis cognatis caedis accusaretur, ut quam fieri posset firmissime se adversus hujus majorem dignitatem et auctoritatem muniret, valde mihi probabile videtur, quum insuper, ut ex nonnullis hujus orationis locis patere videtur (qua de re ad quaestionem sequentem videbimus), majus haberetur crimen, si civis, quam si peregrini caedes perpetrata fuisset.

Si autem peregrinus peregrinum de caede persequeretur, nihil hanc actionem diversam fuisse

puto ab illa, si civis civem accusaret, eosdemque ritus in illa obtinuisse, quos supra enumeravi (1).

V. Ultima et difficillima quaestio est; num eadem poena omnibus hic in lege enumeratis criminibus infligeretur sine discrimine, in quemcumque et a quocumque perpetrata essent? Antequam ei respondebo, paullo accuratius crimina hic memorata definiam.

Primum igitur, quod memoratur, est *φόνος, caedes.* Tria apud Athenienses fuisse videntur hujus criminis genera: nimirum *φόνος ἑκούσιος, ἀκούσιος,* et *φόνος ἑκούσιος* sed justas ob caussas et lege licitas (2). Post de duobus posterioribus generibus dicendi occasionem habebimus. In hac autem lege propter illa, quae in quaestione II dixi, indicari credo *φόνον ἑκούσιον, caedem voluntariam*, id c. siquis aliquem ita verberasset eoque animo, ut eum occideret: ideoque non displicet Heffteri opinio, qui voces *ἐκ προνοίας* post *τραύματος* positas etiam ad *φόνου* pertinere putat, ut satis indicat pag. op. ejus laud. 134, quod tamen in re tam incerta paullo audacius videri posset, nisi orator ipse pag. 19 v. 13, huic opinioni ansam praeberet, item p. 18 v. 11. et in orat. in Mid. tom. II p. 206 in fine.

Secundum crimen est *τραῦμα ἐκ προνοίας, vulnus voluntarium.* Quid proprie hoc crimine indicetur, optime nos docebit Lysias. Non enim quaecumque vulnera in ebrietate aut rixa inflicta, *ἐκ προνοίας* illata habenda esse dicit in Apol. *πρὸς Σίμ.* p. 100 v. 4 ss., sed tantum ea, quae quis dedit *ἀποκτεῖναι βουλόμενος,* (3) deque hac rei voluntate atque animo perquirendum esse judicibus ait, quam interficiendi voluntatem Lysiam habuisse demonstraverat Simon ex eo, quod *ἐπὶ τὴν οἰκίαν τὴν αὐτοῦ ὀστρακον ἔχων ἦλθε, καὶ ἠπείλει αὐτῷ ἀποκτενεῖν* (p. 93 v. 40 ibid.)

De crimine *πυρκαϊᾶς* nihil scimus, quam quod ad quaestionem III de eo annotavimus.

Ultimum quod in lege enumeratur crimen est *φαρμάκων* aut *φαρμακείας.* De hoc etiam pauca nobis nota sunt. Ex legis autem verbis apparet, Areopagum tantum judicasse, num venenum datum mors secuta esset: si hoc igitur esset Areopagi officium, ut ipse orator in hujus legis explicatione dicit, ut indagaret, utrum quis veneno aliquem interfecisset necne, etiam videtur mihi illud judicium investigare debuisse, num *βουλόμενος ἀποκτεῖνειν* id dedisset, quoniam ex Antiph. orat. *κατὰ τῆς μητρυιᾶς* apparet, illam hac uti excusatione, se non interficiendi animo dedisse, sed *ἐπὶ φίλτροις*; et apud Arist. Ethic. I, 17 narratur mulier, *ἐπ' αὐτοφώρῳ* aliquando a marito prehensa, dum venenum praepararet, ab Areopago absoluta fuisse, quod marito tamquam *φίλτρον* dederat, quo ille mortuus erat, *οὐ μετὰ διανοίας τοῦ ἀπολέσθαι αὐτόν.*

Restat, ut paucis tradamus, quaenam his criminibus supplicia infligerentur: ac primum quidem *τῷ φόνῳ ἑκουσίῳ.*

(1) Ex Platone lib. IX p. 267 v. 1, tamen patet, si peregrinus peregrinum inconsulto interfecisset, tunc licuisse *τῷ βουλομένῳ* eum persequi. An autem omnia Platonis in rempublicam Atheniensem transferre liceat, valde dubito.

(2) Plato lib. IX de leg. p. 267 inter *φόνον ἑκούσιον* et *ἀκουσιον* tertium genus posuit, nimirum *φόνον θυμῷ γενόμενον,* et ejus iterum caedis fecit duas species, alteram caedis *θυμῷ ἐξαίφνης καὶ ἀπροβουλεύτως* factae, alteram caedis *θυμῷ καὶ μετ' ἐπιβουλῆς* perpetratae.

(3) Etiam Plato lib. IX de leg. p. 278 versus finem hujus criminis definitionem dat: *ἐάν τις διανοηθεὶς τῇ βουλήσει κτεῖναί τινα φίλιον, πλὴν ὧν ὁ νόμος ἐφίησι, τρώσῃ μέν, ἀποκτεῖναι δὲ ἀδυνατήσῃ* etc.

Hujus criminis supplicium ex nonnullis oratorum locis, quae adscribam, confici potest. Primum autem teneatur, unicuique, quod jam in quaestione prima dixi, licuisse ante condemnationem exsilio voluntario poenam effugere (1). Si autem mansisset et condemnatus esset, morte eum multatum fuisse apparet ex loco Antiph. *κατηγ. φαρμ. κατὰ τῆς μητρ.* p. 114 v. 10: *ἤδη οὖν ἐγὼ ἀξιῶ, ὥσπερ κἀκεῖνον ἀνελεημόνως καὶ ἀνοικτίστως αὕτη ἀπώλεσεν, οὕτω καὶ αὐτὴν ταύτην ἀπολέσθαι ὑπό τε ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου*: item ex ejusdem Apol. *φον. ἀπαρ.* p. 117 v. 20: *ἐὰν δὲ νῦν καταληφθεὶς ἀποθάνω, ἀνόσια ὀνείδη τοῖς παισὶν καταλείψω· ἢ φυγὼν γέρων καὶ ἄπολις ὢν, ἐπὶ ξενίας πτωχεύσω.* Cf. idem de caed. Herod. p. 130 v. 25: *ἔπειτα τίμησίν μοι ἐποίησαν, τοῦ νόμου κειμένου τὸν ἀποκτείναντα ἀνταποθανεῖν.* Caeterum sive effugeret *ὁ κτείνας* sive condemnatus esset, ejus bona publicabantur. Hoc patet ex loco Dem. in hac orat. p. 18 v. 11: *τῶν γὰρ ἐκ προνοίας δεδημευται τὰ ὄντα*, et ex loco in orat. in Mid. tom. II p. 206 versus finem: *οἱ φονικοὶ (νόμοι) τοὺς μὲν ἐκ προνοίας ἀποκτίννυντας θανάτῳ καὶ ἀειφυγίᾳ καὶ δημεύσει τῶν ὑπαρχόντων ζημιοῦσι*: qui locus ita explicandus est: si interfector statim post caedem patratam aut post priorem habitam Apologiam aufugit, eum puniunt leges *φονικαὶ ἀειφυγίᾳ;* si manet et condemnatur, extremo supplicio eum afficiunt; et sive in exsilium eat sive maneat et condemnetur, ejus bona publicantur.

Cum autem Hefsterus op. laud. p. 135 obiter moneat, ex Platonis lib. IX de leg. et ex duobus huj. orat. locis confici posse, supplicia diversa fuisse pro diversa *τῶν ἀνδροφόνων* aut *τῶν παθόντων* in civitate Atheniensi conditione, hoc paullo accuratius investigare mihi proposui.

Loca igitur huj. orat., e quibus haec opinio oritur, obvia sunt p. 15 in leg. 3 verbis: *ἐὰν δέ τις τὸν ἀνδρόφονον κτείνῃ ἀπεχόμενον* etc. *ὥσπερ τὸν Ἀθηναῖον κτείναντα ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι*: alter p. 19 v. 1: *ἐάν τις ἀποκτείνῃ ξένος ἢ πολίτης, ἵν' ὅτῳ ποτὲ τοὔργον ἐπράχθη, τούτῳ τὰ ἐκ τῶν νόμων ὑπῆρχε δίκαια.*

Quod ad priorem locum attinet, non puto quidquam ex eo peti posse, quod tali opinioni ansam praebeat. Legislator enim hoc dicere videtur: eum qui homicidii perpetrati causa exularet sive civem sive peregrinum, quamquam caeteris civitatis juribus carentem, tamen hujus beneficii participem mansisse, ut nemini eum interficere liceret, quin eodem modo puniendus esset, ac si quem Athenis habitantem vita privasset. Aliis verbis hoc ita explico: si civis aut peregrinus, Athenis habitans, civem aut peregrinum interfecisset, utrique ab omnibus rebus, quarum interfectus particeps fuerat, abstinendum erat: si autem haec faceret uterque et nihilominus ab aliquo ex interfecti propinquis occideretur, tum ille propinquus habebatur pro homicida, quoniam eum, quem lex, statuens Athenarum incolas sive *ξένους* sive *πολίτας*, alicujus interfectores ob eamque rem exsules, *μετ' ἀσφαλείας ζῆν φυγόντας*, tuebatur, interfecerat.

Ex altero item loco hanc opinionem non valde firmari video. Res quae ibi exponitur haec est: Postquam orator legem recitaverat, quae vetabat, vexare *τὸν ἀκούσιον ἀνδρόφονον*, interrogat Ari-

(4) Hoc autem beneficio parricidas et matricidas privatos fuisse tradit Poll. lib. VIII § 117. Etiam Plato de leg. lib. IX p. 272 init. et 273 hoc tantum concedere videtur illi, qui *ἐπιβουλεύσει* caedis auctor fuerat, non autem ei, qui *αὐτοχεὶρ* caedem perpetraverat, quoniam ab illo, simulatque ei ab accusatore judicium intendebatur, tres vades *ἀξιόχρεως* peti jubet. Si autem etiam hic non post *πρότερον λόγον*, sed statim post perpetratam caedem aufugerat, illam *φυγὴν ἀειφυγίαν* esse praescripsit. Ex hoc etiam loco nobis patet, quam caute Platonis hisce libris utendum sit.

stocratem, qui decretum proposuerat, ut quicunque Charidemum interficeret, ἀγώγιμος esset, num sciret, utrum Charidemus per caedem, an alio quodam modo moriturus esset: deinde num sciret, utrum ille homicida consulto an inconsulto eum interfecturus esset, denique utrum civis an peregrinus ὁ ἀνδρόφονος futurus esset? Cum haec interrogavisset, ad quae omnia negando respondere debebat Aristocrates, dicit eum haec in decreto definire debuisse, ut is, qui id perpetraret, justum ex legibus judicium assequi posset. Eo igitur loco non puto oratorem indicare ξένους Ἀθηναίους eosque opponere civibus, sed ξένων nomine eum omnes, qui non Athenis, sed alibi, v. c. Thebis habitabant, complecti; ii enim pariter atque Athenienses Charidemum, civem Atheniensem δημοποιητόν, tunc temporis in Thracia degentem interficere poterant. Quod autem attinet ad illa ἵν' ὅτῳ ποτὲ τοὖργον ἐπράχθη. τούτῳ τὰ ἐκ τῶν νόμων ὑπῆρχε δίκαια, haec significare puto, ut si civis Charidemum interfecisse accusaretur, de eo in judicio judicaretur primum, utrum caedem perpetravisset nec ne, deinde utrum jure an injuria. Si autem peregrinus ejusdem facti argueretur, hic etiam τὰ ἐκ τῶν νόμων δίκαια obtineret; id est τῷ ἀνδροληψίῳ judicio traderetur; quod sane utrumque multo melius et lenius erat, quam si in accusatoris potestatem redigeretur. Hunc locum ita explicavi, quod si ponimus oratorem hoc loco distinxisse πολίτην Ἀθηναίων a ξένῳ Ἀθηναίῳ, non video, quare Aristocrati in decreto definiendum fuerit, ab utro horum caedes perpetrata fuisset. Nam ponamus, civem interfecisse Charidemum ἑκόντα et non abstinuisse iis rebus, quarum is particeps erat; tum profecto secundum ea, quae orator pag. 31 dixit, ἀπάγειν ad judicium cum poterant interfecti propinqui: ponamus autem idem perpetrasse ξένον arctiori significatione; nullum tunc discrimen video, eumque eodem modo ἀπάγειν potuisse propinquos ex eodem loco modo laud. patere mihi videtur.

Nunc videamus, quid ex Platone, quo maxime hanc opinionem niti profitetur Hefterus, confici possit.

Ac primum quidem video, illum p. 265 et 266 in φόνῳ ἀκουσίῳ tantum distinxisse inter δούλους et ἐλευθέρους: quod autem adjecit ἐὰν δὲ ξένος ὁ τελευτήσας ᾖ, καὶ τῆς τοῦ ξένου χώρας εἰργέσθω τοὺς αὐτοὺς χρόνους, id nihil ad eam sententiam probandam valere posse puto, quoniam id non ad poenam pertinet, sed tantum ex sententia Graecorum, deos tutelares ejus urbis, cujus peregrinus, quamquam Athenis habitans, nihilominus civis manebat, ea caede offensos esse, fluxisse videtur.

Deinde p. 268 ss. nullam iterum distinctionem eum fecisse video, utrum civis an peregrinus θυμῷ aliquem interfecerit et pag. 270 D para jura et civi et peregrino statuit, si alter alterum ἀμυνόμενος interfecerit.

Denique quum pag. 271 et ss. statuit, quaenam poena τῷ φόνῳ ἑκουσίῳ καὶ κατ' ἀδικίαν πᾶσαν γιγνομένῳ infligenda sit, quaeque ei, qui caedis alicujus τῇ βουλήσει τε καὶ ἐπιβουλήσει αἴτιος erat (nimirum illi (τῷ αὐτοχερὶ) supplicium extremum et sepultura extra regionis fines et ut, simulatque ab aliquo accusaretur, vades tres daret sistendi se; huic autem omnia eadem πλὴν τῆς ἐγγύης), haec de peregrinis addit: τὰ αὐτὰ δ' ἔστω ταῦτα ξένοισί τε πρὸς ξένους καὶ ἀστοῖσι καὶ ξένοισι πρὸς ἀλλήλους, δούλοις τε αὖ πρὸς δούλους, τῆς τε αὐτοχειρίας πέρι καὶ ἐπιβουλεύσεως, πλὴν τῆς ἐγγύης· ταύτην δέ, καθάπερ εἴρηται, τοὺς αὐτόχειρας κατεγγυᾶσθαι: e quibus apparet et persequendi rationem et criminis supplicium plane eadem fuisse. Illa enim verba πλὴν τῆς ἐγγύης non ad τὰ αὐτὰ

tantum referenda sunt, ut hic sensus evadat: eadem omnia observentur in peregrinis etc. praeter vadimonium: sed ad totam hanc sententiam *τὰ αὐτὰ δὲ ἔστω τῆς τε αὐτοχειρίας πέρι καὶ ἐπιβουλεύσεως* referenda esse satis indicant sequentia: *ταύτην δέ, καθάπερ εἴρηται, τοὺς αὐτόχειρας κατεγνῶσθαι;* ut hic loci sensus sit: eadem omnia, quae modo enumeravimus et statuimus de *ἐμφυλίοις*, fiant in *ξένοις* etc., cum si *αὐτόχειρες*, tum si *ἐπιβουλεύσαντες* aliquem interfecerunt, praeter id, quod etiam de civibus statuimus, ut ab iis, qui aliquem *ἐπιβουλεύσαντες* interfecerint, vades non petantur, sed tantum ab illis qui *αὐτόχειρες* id perpetrarint.

Quum igitur et Platonem nullam supplicii diversi mentionem fecisse videam, neque loca Demosth. supra allata huic opinioni favere demonstraverim, id, quod Hefterus posuit, ex his saltem fontibus haustum, probare nequeo et potius ex iis conficio, paria fuisse in hac actione *πολιτῶν* et *ξένων* jura et privilegia: eamque juris aequalitatem ortam fuisse puto ex sententia Atheniensium, etiam *ξένους* suos tutelares et vindices habere deos, quorum iram, nisi interfectum ulciscerentur ipsi, commoverent.

Nunc videamus, quodnam supplicium *τῷ τραύματι ἐκ προνοίας* statutum fuerit. Hoc etiam ex nonnullis oratorum locis confici potest. Et primum quidem ex loco Lysiae Apol. *τραυμ. ἐκ προν. πρ. Σιμ.* p. 99 v. 35, quo de poena, si reus condemnaretur, haec dicuntur: *ἐγὼ εἰς τοιοῦτον ἀγῶνα καθέστηκα, ἐν ᾧ καὶ περὶ τῆς πατρίδος καὶ τῆς οὐσίας τῆς ἐμαυτοῦ ἁπάσης κινδυνεύω.* Et pag. 100 v. 1, ubi agitur de hujus actionis institutione: *ἐξελάσαι τινὰς ζητῆσαι ἐκ τῆς πατρίδος*: porro ex loco apud eundem *περὶ τραυμ. ἐκ πρ. περὶ οὗ πρὸς ὃν* p. 101 v. 41: *κινδυνεύοντι δέ μοι περὶ τῆς πατρίδος*, et p. 102 v. 18: *ἐνθυμουμένους ὅτι περὶ τῆς πατρίδος μοι καὶ τοῦ βίου ὁ ἀγών*: denique ex loco apud Dem. in orat. in Boeot. tom. IV p. 119, quo loco orator narrat, se paene ab inimicis falso *τραύματος* accusatum fuisse, qui eo conabantur illum *φυγαδεύειν ἐκ τῆς πόλεως*. Ex hisce locis tria suppliciorum genera confici posse videntur: I *φυγή*, II *δήμευσις τῆς οὐσίας* vel *τῶν ὑπαρχόντων*, III *θανάτος*. Ex his autem primum usitatissimum fuisse credo, reliqua duo aut si accederent graviora delicta, aut per *αὔξησιν* a Lysia addita fuisse puto (1).

De poena tandem in crimen *Πυρκαϊᾶς* statuta nihil traditum inveni: fortasse constitit in restitutione damni pro gravitate delicti et rei animo, sive in duplum sive in triplum.

Paucis denique videndum est, utrum Draconi an Soloni tribuenda sit haec lex. Meier et Schöm. op. l. p. 16 tradunt, Draconem nusquam Areopagi mentionem fecisse, et p. 18 Solonem dicunt Areopago jurisdictionem hac lege memoratam concessisse: statuere igitur videntur, hanc legem Solonis esse, neque verba Demosth. pag. 19 in fine huj. orat. magni aestimant, certe omittunt. Prudentius egit Matthiae op. laud. p. 145 in nota et pag. 148 N°. 6, statuens Demosthenem loco laudato non satis accurate locutum esse, quum dicit omnes, quas attulit, leges esse Draconis, idque apparere ex lege II pag. 13, in qua *ἀξόνων* mentio fit, quo nomine appellabantur Solonis, non Draconis leges, atque igitur duas priores leges Soloni tribuit. Ego autem, Demosthenem se-

(1) Huic sententiae auctoritatem praebet Plato lib. IX p. 279 init., ubi *τῷ ἐκ προνοίας τρώσαντι* poenam statuit *μετάστασιν εἰς τὴν γείτονα πόλιν διὰ βίου* et licere illi *καρποῦσθαι ἁπάσαν τὴν αὐτοῦ κτῆσιν*. caussam, cur illum morte non afficiat, eodem loco tradit, hanc nimirum, ne legislator plectendo eo morte, qui aliquem vulneraverat, adversetur *τῷ δαίμονι*, qui *αὐτὸν καὶ τὸν τρωθέντα ἐλεήσας ἀπότροπος αὐτοῖς ἐγένετο μὴ τῷ μὲν ἀνίατον ἕλκος γενέσθαι, τῷ δὲ ἐπάρατον τυχὴν καὶ ξυμφοράν.*

cutus, eas potius Draconis esse credo, et illam *τῶν ἀξόνων* mentionem inde fluxisse puto, quod Solon in illa *ἀπαγωγῇ* quaedam fortasse mutavit et leniit, quae in *ἄξοσι* annotavit, quod, ut notum est, in *φονικοῖς θεσμοῖς* Draconis saepissime fecit: nec propter diversa legislatorum ingenia populique increscentem humanitatem mirum id videri potest.

Verba etiam oratoris pag. 14 v. 14: *τὰ γὰρ χρήματα ἄποινα ὠνόμαζον οἱ παλαιοὶ*, magis Draconis, quam Solonis aetati convenire mihi videntur.

Secunda lex, quae nobis explicanda est, his verbis continetur:

Τοὺς δ' ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἀποκτείνειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ καὶ ἀπάγειν, ὡς ἐν τῷ ἄξονι ἀγορεύει, λυμαίνεσθαι δὲ μὴ, μηδὲ ἀποινᾶν, ἢ διπλοῦν ὀφείλειν ὅσον ἂν καταβλάψῃ. Εἰσφέρειν δὲ τοὺς ἄρχοντας, ὧν ἕκαστοι δικασταί εἰσι, τῷ βουλομένῳ. Τὴν δ' Ἡλιαίαν διαγινώσκειν.

Quod ad hujus legis verba attinet, de iis non multae codicum neque virorum doctorum controversiae exstiterunt. Nam, ut minores praeteream, v. c. de voce *δὲ* ab initio, quam nonnulli codd. omiserunt, de *ἀγορεύει (ὁ νομοθέτης)*, pro quo alii legi volunt *ἀγορεύεται* etc. hoc tantum mihi memoratu dignum visum est, quod Reiskius, probantibus Bekkero et Schaefero et illo quidem auctoritate cod. Societatis Jesu Antv., mutavit *ὅσον* in *ὅσου*. Nam, quamquam Wolfius non male explicavit, neque aliter explicari potest, si *ὅσον* legitur, quam hic fecit, ut nimirum post *διπλοῦν* subaudiatur *τῶν εἰσπεπραγμένων χρημάτων*, illa tamen exigua mutatio tantam praebet sententiae facilitatem, ut eam lubens probaverim, et tum legis verba, ut Petitus, quamquam *ὅσον* non mutarit, sic verto. « Homicidas morte multanto in nostra terra" (non male tamen Petitus ex explicatione, quam ipse orator dat p. 14 v. 17: « in patria occisi « terra") « et abducunto, ut lege cautum est: in eos autem ne saeviant, neque ab iis pecuniam « exigant: qui secus faxit, noxae dative damni duplionem praestato. Magistratus autem, ad quo- « rum *ἡγεμονίαν* haec causa pertinet, actionem in judicium inducant cuicumque libuerit accusare. « De eo vero Heliastae jus dicant."

Cum hujus legis interpretatione conjungemus alteram, quae legitur pag. 31 init:

Εἰ πάντα ταῦτά τις ἠγνόηκεν ἢ παρεληλίθασιν οἱ χρόνοι, ἐν οἷς ἔδει τούτων ἕκαστα ποιεῖν, ἢ δι' ἄλλο τι οὐχὶ βούλεται τούτους τοὺς τρόπους ἐπεξιέναι, τὸν ἀνδροφόνον δ' ὁρᾷ περιιόντα ἐν τοῖς ἱεροῖς καὶ κατὰ τὴν ἀγορὰν, ἀπάγειν ἔξεστιν εἰς τὸ δεσμωτήριον, οὐκ οἴκαδε, οὐδ' ὅποι βούλεταί τις· κἀνταῦθ' ἀπαχθεὶς οὐδ' ὁτιοῦν, πρὶν ἂν κριθῇ, πείσεται· ἀλλ' ἐὰν μὲν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιωθήσεται· ἐὰν δὲ μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων ὁ ἀπαγαγὼν, χιλίας προσοφλήσει.

Quorum verborum universe hic sensus est: « si quis omnes legitimas persequendi homicidae « vias ignoravit aut tempus, quo iis utendum erat, praeteriit, aut propter aliam quamcunque « causam iis uti noluit, homicidam tamen videt circumeuntem in templis aut in foro, licet illi « eum abducere in carcerem, non autem domum suam, neque quo velit. Eo autem homicida « abductus nihil patietur, priusquam de eo judicatum sit: si autem in illo judicio condemna- « tus erit, morte plectetur. Actor autem, nisi quintam suffragiorum partem tulerit, mille « drachmis multabitur."

Ex Demosthenis verbis pag. 13 med. priorem legem statuere de damnatis homicidis confici potest, alteram de iis, qui nondum propter quamcumque causam in jus vocati erant.

Explicemus igitur primum legem de damnatis, tum eam de nondum in jus vocatis homicidis.

Ad legis antecedentis quaestionem primam annotavimus, licuisse caedis reo, aut statim post caedem perpetratam, aut etiam post priorem Apologiam habitam in Areopago aut alio quocumque judicio, solum vertere; at tum etiam illi, ut ad seq. leg. videbimus, omnibus iis rebus, quarum interfectus particeps fuerat, abstinendum erat: in his, ut per se patet, occisi erat patria.

Quid igitur fiebat aut lege licitum erat, si nihilominus eo rediret? Hoc ex hac lege docemur: nimirum tum licebat occisi propinquis non tantum, sed unicuique Atheniensium, eum *aut* occidere et ita poenam in condemnatione, quae certo in illum, licet absentem, pronunciata erat, statutam ab illo sumere; *aut* in judicium *τῶν θεσμοθετῶν* abducere, qui, ut orator dicit, *κύριοι* erant *τοὺς ἐπὶ φόνῳ φεύγοντας θανάτῳ ζημιῶσαι*: quod non ita intelligendum, quasi ipsi eum *τῷ ἐπὶ τοῦ ὀρύγματος* tradiderint, sed *τοῖς ἕνδεκα*, quibus, ut notum est, haec provincia mandata erat. Non autem licebat iis *λυμαίνεσθαι*, i. e. *vincire*, *laniare*, neque *ἀποινᾶν τὸν ἀπαχθέντα*, i. e. *pecuniam exigere ab illo*, ea conditione ut eum in libertatem restituerent et poenam remitterent. *Ἄποινα* enim dicebatur pretium, quo homicidae occisi propinquos placabant, etiam *ποινὴ* et *ὑποφοίνια* dictum. Quod si tamen faceret, unicuique licebat ejus nomen apud magistratus, quos in hac causa *τοὺς τετταράκοντα* fuisse credo, deferre et hac lege statutum erat, magistratus talem actionem *τῷ βουλομένῳ* in judicium introducere debere, si *ἐπιβολὴν*, quam *ἐπιβάλλειν* ipsi poterant, superaret, et quidem in judicium Heliasticum, quod in his causis dijudicabat: si autem huic videretur *ἀπαχθεὶς* a *τῷ ἀπαγαγόντι* cruciatus esse, hic duplionem dati damni solvere cogebatur; quae verba, ut notum est, dupliciter explicari possunt: reus nimirum primum reddere quod v. c. furatus erat, et tum ejusdem summae duplum, tamquam poenam, solvere cogi poterat; aut etiam primum quod furatus erat reddere cogebatur, et tum poenae loco eandem summam solvere. Utram autem hujus vocis significationem hic recipiam nescio, neque usquam apparet.

Jam transeo ad alterum *ἀπαγωγῆς* genus.

Ad rectam generis hujus intelligentiam breviter commemorabo, quomodo *γραφὴ φόνου* institui solita fuerit.

Antequam *γραφὴ* magistratui ab actore tradebatur, *πρόσκλησις* ab eo adhibenda erat, i. e. in jus vocatio ejus, quem accusare volebat. Hujus in jus vocationis duo testes erant *(κλητῆρες)* aut etiam unus, qui magistratui, ad quem actio deferebatur, factae *προσκλήσεως* testes essent, et sine horum advocatione et praesentia actio a magistratu recipi non poterat, sed statim se actionem in judicium introducturum esse negabat, quod vocabatur *δίκη ἀπρόσκλητος* (1). Si autem reciperet magistratus, qui in actionibus de caede *Βασιλεὺς* sive archontum secundus erat, diem dicebat, quo ipsos apud eum in judicio sistere oporteret. Si uterque adesset, primum *γραφὴν* actoris et rei *ἀντιγραφὴν* accipiebat et omnia testimonia audiebat, deinde reum interdicebat *τοῖς νομίμοις*, i. e. *προηγόρευεν εἴργεσθαι τῶν νομίμων*: tum per tres menses instituebat tres *διαδικασίας*, singulis mensibus unam: quarto denique mense actionem Judicio Areopagitico vel alii cuicumque

(1) Cf. Hesych. in voce.

dijudicandam tradebat et ipse cum eo judicabat. Ex his confici potest, quanti Athenienses vitam hominis duxerint, quum tantum temporis spatium hujus culpae probationi tribuerint (1). Quinam ritus in ipso judicio observati sint, in quaest. 1 ad leg. antec. enumeravimus.

Haec autem hujus actionis per γραφὴν instituendae ratio plane neglecta est in homicidae accusatione per Ἀπαγωγὴν. In hac enim et πρόσκλησις et κλητῆρες omittebantur: neque Archon Βασιλεὺς ἀνάκρισιν habuisse videtur, sed Thesmothetae; nec denique illae διαδικασίαι habebantur, sed statim judicabatur: nec reus liber manebat, sed nisi vades in jure sistendi praeberet, in carcerem abducebatur, et, si condemnaretur, morte mulctabatur.

Jam de his duabus legibus quaedam oriuntur quaestiones, quibus pro meis viribus respondere conabor.

I. Qua in re utraque haec ἀπαγωγὴ a se invicem differebat?

II. Quare prior lex τοῦ ἀποκτείνειν καὶ ἀπάγειν concessit licentiam, non autem τοῦ λυμαίνεσθαι neque τοῦ ἀποινᾶν, et quonam consilio legislator eam tulit?

III. Si non licebat homicidam cruciare neque ab eo pecuniam exigere, et hoc tamen fecisset aliquis, tum duplionem dati damni praestare debebat secundum priorem legem: quoritur, quomodo id explicandum sit, cum nihilominus ille homicida damnatus et poenae capitali obnoxius esset?

IV. Num denique in altera illa ἀπαγωγῇ aliquid insuper accuratius de homicidae persona scivisse actorem statuendum est, ob quod eum abducere posset, et num quid certius de tempore, intra quod caedis aliquis accusandus esset, statui potest?

I. Num utraque illa Apagoge et quod ad instituendi rationem, et quod ad judicium de τῷ ἁλόντι habitum et denique quod ad ejus judicii effectus plane eadem fuit, an in his tribus memoratis capitibus aliqua inter eas intercessit differentia? Posterius probandum esse mihi videtur, et paucis hujus meae sententiae argumenta exponam.

Notum est, verbum ἀπάγειν usurpari etiam de magistratibus, qui damnatos ad supplicium trahunt et τῷ ἐπὶ τοῦ ὀργάνου tradunt, quamquam etiam, ut supra ostendi, de iis usurpatur, qui damnatum non ipsi tortori tradunt, sed per alios id faciunt. At, quoniam in tanta incolarum multitudine fieri poterat, ut exsules et propter caedem patratam damnati clam in patriam redirent, lex cavit, ut non tantum magistratibus, sed omnibus talem audacem, quique reditu suo patrium solum patriosque deos et imprimis interfecti Lares violare vellet, abducere ad supplicium liceret, attamen primum ad eos magistratus, quorum propria illa potestas erat; quae potestas ut firmior esset, idem legislator statuit, ut, si v. c. resisteret

(1) Non autem licebat magistratui in fine sui magistratus tales recipere actiones, sed differre eas debebat in sequentem annum, quod optime docemur ex Antiph. orat. περὶ τοῦ χορ. p. 146 v. 12: καὶ πρῶτον, ἃ τοῦ βασιλέως κατηγοροῦσι, καὶ διὰ τὴν ἐμὴν σπουδὴν οὐ φασιν αὐτὸν ἐθέλειν ἀπογράφεσθαι τὴν δίκην, τοῦτο δὲ κατ' αὐτῶν τούτων ἔσται τεκμήριον, ὅτι οὐκ ἀληθῆ λέγουσιν· ἐδει μὲν γὰρ τὸν βασιλέα, ἐπειδὴ ἀπεγράψατο, τρεῖς διαδικασίας ποιῆσαι ἐν τρισὶ μησὶ, τὴν δίκην δ' εἰσαγειν τετάρτῳ μηνί, ὥσπερ νυνί· τῆς δ' ἀρχῆς αὐτῷ λοιποὶ δύο μῆνες ἦσαν Θαργηλιὼν καὶ Σκιῤῥοφοριὼν· καὶ οὔτ' εἰσάγειν δήπου οἷός τ' ἦν ἐφ' ἑαυτοῦ, οὐδὲ παραδοῦναι φόνου ἐξεστιν, οὐδὲ παρέδωκεν οὐδεὶς πώποτε βασιλεὺς ἐν τῇ γῇ ταύτῃ ἡντιναοῦν, μήτε εἰσάγειν μήτε παραδοῦναι ἐξὴν αὐτῷ, οὐδ' ἀπογράφεσθαι ἠξίου παρὰ τοὺς ὑμετέρους νόμους.

iste aut nollet sequi, et ὁ ἀπάγειν βουλόμενος videret, nisi eum occideret, supplicium eum evitaturum, tum etiam liceret impune istum occidere. Insuper nullum τῷ ἀπαγαγόντι periculum statutum fuisse videtur. Hoc igitur abducendi genus paene non actionis forma appellandum esse videtur, sed potius *abductio ad supplicium* et atrox infelicis persequendi modus. Attamen non puto, legislatorem hoc concessisse, quod occidi eum vellet, sed ut eum, ut postea videbimus, a finibus suis arceret; et paullo saltem hanc severitatem leniit, quod in eadem lege sanxit, non licere illum cruciare neque pecuniam ab eo exigere, de quo ad quaestionem seq. dicendum est.

Altera autem ἀπαγωγὴ revera actio vocari potest et tantum ideo concessa videtur, ne homicida, qui, in publicum ventitando neque iis abstinens, indicaret se facti sui non poenitere atque insuper deos et totam civitatem violare se velle, ne talis, inquam, homicida impunis esset. Sed quoniam de eo nondum certo constabat, utrum homicida esset nec ne, lenius tractatus est, et, quod supra memoratus ἀπαχθεὶς facere non poterat, vades tres praebere ei licebat et insuper actori periculum imminebat, ne mille drachmis mulctaretur. Ut paucis igitur verbis discrimen in instituendi ratione inter utramque ἀπαγωγὴν tradam: priorem ἀπαχθέντα tractari lex concessit ut damnatum quique justam κρίσιν obtinuisset, alterum ut qui κρίσιν quidem nondum adeptus fuisset, sed cui tamen inhaereret suspicio, quod tali αἰτίας ὀνόματι obnoxius insuper totam urbem violasset atque ita culpam auxisset.

Ex eodem hoc legislatoris consilio judiciorum, quae uterque ἀπαχθεὶς obtinebat, discrimen explicandum esse videtur. In priore nimirum omnibus noto et infami condemnatione notato tantum investigasse mihi videntur Thesmothetae, num idem esset, qui damnatus antea fuisset, quod brevi eos comperire potuisse puto: in altero autem ἀπαχθέντι et de ejus persona quaesitum esse puto et de eo, utrum caedem perpetravisset nec ne; neque hoc solum Thesmothetis mandatum, sed etiam judicibus dijudicandum traditum est; et haec ἀπαγωγὴ etiam ideo instituta fuisse videtur, ut illae magistratuum διαδικασίαι omitterentur. Sed quo celerius talis actio tractabatur, eo minus reo, quippe qui confestim in judicium vel carcerem, nisi vades praebuisset, raperetur, temporis ad testes innocentiae suae comparandos et justam defensionem conficiendam restabat: quare justissime statuit legislator, 1000 drachmis multandum τὸν ἀπαγαγόντα καὶ μὴ μεταλαβόντα τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων. Jam in *hoc* judicii effectu a se invicem diversa fuit utraque ἀπαγωγή. In priore enim, sicut diximus, tale periculum actori non erat: causa autem ejus discriminis haec mihi esse videtur, quod in altera illa ἀπαγωγῇ uni ἀπάγοντι notum esse poterat, utrum caedem perpetravisset ἀπαχθεὶς nec ne, cui multum ideo in hac causa fidere debebant judices, et si eos falleret, facile fieri poterat, ut injuste τὸν ἀπαχθέντα condemnarent et caedis μίασμα in se reciperent. Sciebat igitur actor, se, nisi certissimis testimoniis accusationem suam probavisset, tali mulctae esse obnoxium.

Etiam in supplicii genere aliquantum diversam fuisse utramque Apagogen credo, quod in prius genus statuta erat mors, alteri autem generi nonnumquam etiam judices aliam poenam irrogare potuisse videntur. At hoc tamen valde incertum est et tantum nititur uno Antiphontis loco in orat. de caed. Her., quae oratio Apologiam in Apagogen habitam continet, pag. 130 v. 24: ἔπειτα τίμησίν μοι ἐποίησαν, τοῦ νόμου κειμένου τὸν ἀποκτείναντα ἀνταποθανεῖν, quod idem tamen παρά-

νομον esse contendit. Illam autem ἀπαγωγὴν in Herodis interfectorem institutam cum hac nostra differre puto; sed id demonstrare non hujus loci est.

II. In secunda, quam nobis proposuimus, quaestione dicendum est de legislatoris consilio, quare τοῦ ἀποκτείνειν καὶ ἀπάγειν, non autem τοῦ λυμαίνεσθαι καὶ ἀποινᾶν licentiam concesserit, item quare totam legem tulerit?

Ad priorem quaestionis partem hoc respondeo: legislatorem omnem operam dedisse, ut, si tam temerarius exsul inveniretur, justam poenam et cuius jam ante damnatus erat, consequeretur, sed simul ut ex lege ea, non autem ex occisi propinqui vel alius cujuscumque voluntate et iracundia illi infligeretur, etiam ne duplici afficeretur supplicio, primum cruciatu, tum morte, quam evitare propter judicatum non amplius poterat. Quare statuit, licere illum ἀποκτείνειν καὶ ἀπάγειν, non autem ἀποινᾶν, i. e. pecunia accepta eum dimittere: neque igitur licebat propinquo aut alii cuicumque cum interfectore in gratiam redire, postquam iste damnatus jam erat. Homicidae autem in occisi patriam reverso nulla salutis spes relicta erat: si enim resisteret, sciebat, se posse interfici: illud enim ἀποκτείνειν explicandum ita esse puto, ut actori licuerit, homicidam interficere statim atque isti obviam fiebat, aut si per vim ei resisteret, non alio quovis tempore (1).

At num isti etiam timendum erat, ne ab occisi propinquis cruciaretur? Non ita: in eo enim adhuc aliquantum legum erat particeps, et, si tale quid pateretur, jus suum per alium persequi poterat. Humanissime igitur hac lege ejus infortunium quodammodo allevatum est: nisi forte illa humanitas explicanda sit ex sanctitate judicii, quod in homicidam pronuntiatum erat, quodque neglexerat is, qui homicidam cruciavisset et in eo culpandus esset.

Universum autem legislatoris in hac lege ferenda consilium fuisse videtur, ut exsulantem homicidam a patria arceret, quam, si rediret, violabat idque sponte sua: et haec imprimis in causis fuisse videtur, cur tam acriter et paene crudeliter in eum statuerit et animadverterit.

III. Accedimus ad tertiam quaestionem, qua verba prioris legis ἢ διπλοῦν ὀφείλειν ὅσου ἂν καταβλάψῃ, εἰσφέρειν δὲ τοὺς ἄρχοντας τῷ βουλομένῳ, uberius explicabimus. Quod ut efficiamus, his quaestionibus respondendum est: Quando, a quo et qualis actio, ut duplum illud solvere cogeretur, instituebatur? Deinde si damnatus erat ὁ ἀπαγαγών, cuinam tum illud duplum solvere debebat?

Talem homicidam aliquis clam omnibus domum abducere poterat, aut aliis etiam praesentibus, v. c. e foro vel e templorum aliquo. Priore casu credo eum cruciare libere potuisse τὸν ἀπαχθέντα, quum verosimile sit, homicidam haec tacite et tranquille tulisse, quippe qui sciret, se, si detegeretur, extremo supplicio adfectum iri; neque ullum alium jus ejus persequi potuisse et legum violationem ulcisci, quum nesciret, per se patet. Altero autem casu, quum palam abduceret homicidam, quod certo Atheniensium curiosos multos alliciebat, qui illum sequebantur et videbant, quo istum abduceret, ex his unus vel alter, forte τοῦ ἀπάγοντος inimicus vel nimirum anxius

(1) Etiam Plato idem in damnatum homicidam domumque reversum statuit lib. IX de leg. p. 273 init: ἐὰν δέ τις ἐπιβῇ τούτων (φυγόντων καὶ μὴ θελησάντων κρίσιν ὑποσχεῖν) τῆς τοῦ φονευθέντος χώρας, ὁ προστυχὼν πρῶτος ἀνατεὶ κτεινέτω ἢ δήσας τοῖς ἄρχουσι τῶν τὴν δίκην κρινάντων κτεῖναι παραδότω.

legum observator et vindex, eum accusabat vel alii cuicumque hanc provinciam mandabat seque ei testem facti praebebat: atque ita priori ac secundae quaestioni responsum est. Ex his enim, quae diximus, patet, actionem tum, quum detectus esset ὁ ἀπαχθεὶς, institutam esse ab eo, qui accusandi potestatem habebat, i. e. a τῷ βουλομένῳ, οἷς ἔξεστιν. Actionis autem formam fuisse puto αἰκίας vel ὕβρεως, secundum ea, quae ὁ ἀπαγαγὼν fecisset: si graviora illa essent, ὕβρεως γραφὴν institutam fuisse puto, si minora, δίκην αἰκίας.

Restat, ut breviter videamus, cuinam mulcta, quae τῷ ἀπαγαγόντι imponebatur, cesserit? Hoc ex supplicio, cujus homicida ἐκ προνοίας condemnabatur, explicandum est. Ad quaestionem 5 legis primae vidimus, homicidae bona publicata fuisse, i. e. aerario publico addicta: cum hoc ita sit, per se patere videtur, etiam id duplum in aerarium conjectum fuisse, quum proprie ad homicidae bona pertineret istique fortasse ad juris speciem traderetur. Verosimile tamen est, etiam partem accusatori cessisse, quod legibus violatis succurrisset, atque hoc in omnibus fere judiciis ita fiebat.

IV. Ultima quaestio pertinet ad alteram ἀπαγωγῆς formam, et haec est: num haec ἀπαγωγὴ in quemcunque homicidam institui poterat? Quum enim orator dicat: « si quis haec omnia « ignoravit aut his modis jus suum persequi *noluit*, tum licere ei ἀπάγειν τὸν ἀνδροφόνον:" videri possit ex actoris voluntate pependisse, utrum per γραφὴν an per ἀπαγωγὴν agere, homicidam in jus vocare, an in jus rapere vellet. At hoc mihi in atroci per ἀπαγωγὴν agendi modo paullo durius videbatur, et cogitabam, num in tali utendo actionis forma, non certius de caede actori constare deberet. Ut enim jam dixi, in ἀπαγωγῇ διαδικασίαι illae magistratus per tres menses locum non habebant, et statim res judicibus tradebatur dijudicanda, neque τῷ ἀπαχθέντι licebat solum vertere, quod per γραφὴν accusato, ut vidimus, nemo interdicere poterat. Quod cum ita sit, statuendum esse puto, *aut* legem tam atrociter cum tali homicida egisse, quod ei suspicio adhaerebat, quod, quamquam caedis sibi conscius, loca tamen publica frequentaverat, et id quam celerrime expiandum erat; *aut* actorem certo scivisse, illum esse ἀνδροφόνον. Posterius si ponamus, indagandum est, quomodo illud certo scire potuerit. Duobus potissimum modis hoc fieri potuisse mihi videtur, si nimirum aut e certissimis testibus audiverit, aut ipse ἐπ' αὐτοφώρῳ homicidam deprehenderit: posterius mihi verosimilius videtur. Notum enim est, maxime hanc actionis formam concedi in eos, qui manifestis criminibus tenerentur: hoc etiam in tali homicida locum habere potuerat, quem tamen is, qui eum deprehenderat, ἀπάγειν noluerat, sed in id tempus distulerat, donec eum in loca publica prodeuntem vidisset: fortasse ut ei occasionem solum vertendi praeberet, aut alia quacunque de causa. Ut hanc sententiam amplectar, etiam facit usus vocis ἀνδροφόνος, i. e. quem certo sibi constabat esse homicidam: nam ut supra pag. 13 med. orator ostendit, hac voce legislator non utitur, nisi de convictis et damnatis homicidis.

Alteram hujus quaestionis partem, quomodo illa verba ἢ παρεληλύθασιν οἱ χρόνοι, ἐν οἷς ἔδει τούτων ἕκαστα ποιεῖν, paucis absolvam, nimirum tantum ignorantiam meam profitendo. Quid enim de tempore, intra quod homicida in jus vocandus esse, statuendum sit nescio et de eo nusquam quidquam proditum inveni: conjecturis autem hoc in loco aliquid tentare vanum

et inutile judico, quum insuper virium mearum tenuitatem sentiam. Unum tamen hoc proferre volo, legislatorem fortasse indicare finem anni, quo non amplius licebat τῷ Βασιλεῖ actiones de caede recipere, ut supra vidimus in hujus legis interpretatione. Quinam hujus legis auctor sit, jam ad legem priorem in fine dixi.

Quomodo denique Aristocrates hanc legem in psephismate suo praeterierit, optime patet ex ipsius oratoris verbis, quae repetere cogerer, si hoc ipse exponere vellem.

Transeo ad tertiam legem, quae his verbis continetur:

Ἐὰν δέ τις τὸν ἀνδροφόνον κτείνῃ, ἢ αἴτιος ᾖ φόνου, ἀπεχόμενον ἀγορᾶς ἐφορίας καὶ ἄθλων καὶ ἱερῶν ἀμφικτυονικῶν, ὥσπερ τὸν Ἀθηναῖον κτείναντα ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι· διαγινώσκειν δὲ τοὺς Ἐφέτας.

In hac lege controversia est de vocibus *ἀγορᾶς ἐφορίας*, inter quas nonnulli viri docti vocem *καὶ* inserunt et *ἐφορίας* pro substantivo habent: quorum in numero sunt Harpocration, Heraldus, Petitus, Reiskius, Hefterus, Dorvilius ad Charit. p. 406, et Reiskius quidem imprimis hanc ob caussam, quod adjectivum *ἐφόριος* duarum tantum terminationum esse putat: quod si verum est, non video, quare pag. 16 v. 19: *τὴν ἐφορίαν ἀγορὰν* non improbet pro *forum limitaneum:* verum autem non esse patet ex loco apud Pollucem lib. VI c. 21, ubi occurrit *ἡ στήλη ἐφόρια* et ex loco Aristidis in encomio Romae a Valesio ad Harpocr. allato v. *ἐφόρια*: *ἐνταῦθα τείχη τε προὐβάλεσθε καὶ πόλεις ἐφορίας:* item ex Etymologo magno in voce *ἀγορὰ ἐφορία.* Quare potius cum Salmasio, Tayloro, Wesselingio ad Petit. p. 613, Bekkero et Schaefero huncce Etymologum sequor, qui loco laud. hanc illius *ἀγορᾶς* explicationem praebet: „*ἡ σύνοδος ἡ πρὸς „ τοῖς κοινοῖς ὅροις γινομένη τῶν ἀστυγειτόνων, οὗ οἱ ὅμοροι συνιόντες περὶ τῶν κοινῶν ἐβουλεύοντο.*" Hanc praesertim ob caussam, quod cum interpretatione, quam praebet ipse Demosthenes pag. seq. v. 12 et seqq., convenit.

Etiam vocem *ὥσπερ* mutare voluit Marklandus in *οἵσπερ*, quod improbavit Reiskius, quod si relativo uti voluisset orator, *ἐν οἷσπερ* illi dicendum fuisset: Schaeferus autem ideo improbavit, quod tum hoc ordine scribendum fuisset *ἐν τοῖς αὐτοῖς οἷσπερ τὸν Α. κτείναντα ἐνέχεσθαι.* Hanc rationem a Schaefero allatam veram esse puto: quamquam non ita explicari debet, quasi, si tali ordine scribitur, semper relativum usurpetur: hoc enim e multis locis redargui posset. Caeterum Wolfii vitium *ἀπεχόμενον* etc. vertentis *is abstineat*, jam diu a Tayloro, probantibus caeteris viris doctis, correctum est; ad eum igitur remitto.

Legis verba sic vertenda sunt:

« Si quis homicidam ceciderit, aut ejus caedis causam praebuerit, dum abstinebat foro limitaneo « (i. e., finibus interfecti patriae) et certaminibus publicis et sacris Amphictyonicis, is eidem, « ac si Atheniensem occidisset, judicio obnoxius esto. Ephetae autem jus dicunto."

Jam paucis hanc legem explicabimus, est enim satis expedita.

Vidimus ex lege antecedenti, licuisse homicidam damnatum interficere: nunc videbimus, illud additamentum *ἐν τῇ ἡμεδαπῇ* non esse irritum: hac enim lege cavetur, ne id ubique locum habere

possit, atque ut aliquod saltem *τοῖς ἀτυχοῦσι* perfugium remaneat: semper enim attendendum est, in jure Attico qualemcumque caedem *ἀτυχίαν* habitam esse et credidisse Athenienses, homicidas invitos fieri, i. e. contra suam naturam, alia quacumque causa incitante. Si enim putassent, homines ex prava sua voluntate caedes committere, non autem invitos, tum profecto stultum id fuisset institutum et quasi pactum inter Graeciae populos, ut homicidas alius regionis intra suos fines reciperent, quippe qui ibi nova facinora committerent: non igitur Athenienses et caeteri tunc temporis Graeciae populi ipsam caedem puniisse, sed in ea punienda id praecipue spectasse videntur, ut deos ulciscerentur, occisi manes, Lares et propinquos placarent. Ex hoc Atheniensis legislatoris consilio etiam haec lex explicanda est. *Ἀτυχῶν* atque invitus homicida *et* deos, quos offenderat, *et* occisi manes, Lares et propinquos, quos cultore et socio privaverat, placare debebat; quod si faceret, *παρὰ τοῖς μηδὲν ἠδικημένοις μετ' ἀσφαλείας ζῆν αὐτῷ* licebat. Sed quaeritur, quomodo singula ea perficere debuerit, et quid pateretur is, qui homicidam hosce placantem interfecisset? Haec ambo ex hac lege docemur.

Primum igitur ut deos placaret, vel potius ne nova crimina in eos committeret, abstinendum isti erat sacris diis patriis oblatis, unde, ut ait Suidas in voce *τίς τῆδε: οἱ σπένδοντες ἔλεγον τίς τῆδε; ἀντὶ τοῦ, τίς πάρεστιν· εἶτα οἱ παριόντες εὐφημιζόμενοι ἔλεγον, πολλοὶ κἀγαθοί. τοῦτο δὲ ἐποίουν οἱ σπένδοντες, ἵνα οἱ συνειδότες τι ἑαυτοῖς ἄτοπον ἐκχωροῖεν τῶν σπονδῶν.* Etiam locus Antiph. *περὶ τοῦ χορευτ.* p. 141 v. 27, ad legis 1 quaestionem 3 fere mediam allatus, hoc egregie explicat. Hoc igitur faciebat et is homicida, quocum tacite aut palam in gratiam redierat occisi propinquus proximus; nimirum domi se continebat, neque in loca sacra et templa ventitabat: si contra faceret, vidimus ex lege antecedenti, licuisse propinquo eum *ἀπάγειν*.

Sed etiam occisi manes placari neque irritari oportebat et quidem hoc modo, ut abstineret homicida omnibus iis, *ὧν τῷ παθόντι ζῶντι μετῆν*. Hoc tamen non necesse fuisse videtur, si proximus occisi propinquus se cum homicida reconciliasset: si autem illum persequeretur idque evitare vellet *ὁ ἀνδροφόνος*, rebus iis, quarum et ut Atheniensis et ut Graecus civis, dum inter vivos erat, particeps fuerat, illi abstinendum erat. Inter illa primum erat ejus patria terra: ab hujus finibus arcebat legislator homicidam, *τὴν ἐφορίαν ἀγορὰν*, i. e. forum limitaneum, quo *τἀρχαῖα συνήεσαν οἱ πρόσχωροι παρά τε Ἀθηναίων καὶ ἀστυγειτόνων, ὅρον προσγράψας:* nimirum homicidam talem, qui aut statim post caedem patratam aut post priorem Apologiam in Areopago habitam in exsilium iverat. Neque haec lex confundenda est cum *προαγορεύσει* magistratus, qui simulac *φόνου γραφὴν* receperat, *τῷ ἐν αἰτίᾳ ὄντι τὰ νόμιμα* interdicebat, quae hoc casu erant templa et loca publica, quod etiam occisi propinquum ad ejus tumulum facere potuisse, ad legem priorem demonstravimus, aut etiam illum, qui caedi patratae adfuerat, aut eam ab aliquo esse commissam e certis testibus audiverat. Ut salvus igitur homicida esse posset, *μεταστῆναι* debebat *εἰς τὴν τῶν ἀλλοτρίων καὶ μηδὲν ἠδικημένων χώραν*. At et ludorum publicorum, Olympicorum, Isthmicorum, Pythicorum, Nemeorum particeps fuerat occisus et sacrorum Amphictyonicorum, quoniam Graeciae civis fuerat et haec omnibus Graecis communia erant: etiam his igitur abstineat homicida; si enim ludis illis adest, occisi manes circumerrantes irritat et in Graecos et patriam suscitat, quippe qui istum earum rerum participem fieri patiuntur, quibus ipse ab isto privatus fuerat: eadem

quoque re magnos et universae Graeciae deos offendebat, quoniam unum ex ipsorum cultoribus de medio sustulerat: nisi igitur his omnibus abstineat, *ἀποκτείνῃ αὐτὸν ἢ ἀπάγῃ ὁ βουλόμενος.*

Sin autem abstinet et nihilominus aliquis eum occidit, haec eadem lex eum vindicat et ejus interfectorem eodem modo in jure persequitur, atque eum, qui Atheniensem occiderat. Hunc locum jam ad legis primae quaestionem 5 explicavi, et hic paucis ea ita repeto: legislator voluit, eum, qui homicidam omnibus *νομίμοις* abstinentem occidisset, iisdem rebus obnoxium esse, atque eum, qui Athenarum incolam interfecisset, quod legem, quae statuebat, *τοὺς ἀνδροφόνους μετ' ἀδείας ζῆν φυγόντας*, nihili duxerat et potius iracundiae, quam legi, obtemperaverat et proprie insontem aut potius abstinentia sua culpa liberatum interfecerat, et ea re idem, atque iste, crimen commiserat.

Caussae hujus judicium Ephetis lege permissum est, de quibus ad leg. I quaest. 2 egimus, quosque nunc praeterire nos posse existimamus: etiam qua in re Aristocrates in decreto suo ferendo hanc legem neglexerit, satis ab oratore p. 17 med. demonstratum esse putamus.

Lex, quam deinceps *παρεγράψατο* orator, de invitis homicidis agit atque his verbis continetur: *Ἐάν τίς τινα τῶν ἀνδροφόνων τῶν ἐξεληλυθότων, ὧν τὰ χρήματα ἐπίτιμα, πέρα ὅρου ἐλαύνῃ ἢ φέρῃ, ἢ ἄγῃ, τὰ ἴσα ὀφείλειν, ὅσαπερ, ἂν καὶ ἐν τῇ ἡμεδαπῇ δράσῃ.*

Exiguae de nonnullis hujus legis verbis codicum et virorum doctorum exstant controversiae: inter alias de voce *ὅρου*, pro qua nonnulli dant *ὅρων*. At non intelligendos hic esse puto *τοὺς ὅρους τῆς τοῦ ἀποθανόντος χώρας*, sed *πέρα ὅρου* explicandum esse *ultra finem a lege statutum:* is autem erat *τῆς τοῦ παθόντος εἴργεσθαι πατρίδος.*

Altera controversia est de voce *ὀφείλειν*, pro qua codex unus et alter dant *ὀφείλει*, quod etiam Wolfius secutus esse videtur: at satis notum esse puto in legibus infinitivi usum, neque opus est id exemplis probare. Denique de voce *καὶ* post *ἄν* nonnullorum, in his Bekkeri et Schaeferi, qui eam delent, etiam mihi valde placet sententia, et quod minus necessaria est et propter id, quod orator v. 20 dicit *ἂν οἴκοι δράσῃ.*

Versio legis haec est:

« Si quis homicidam, qui (e patria occisi) exiit cujusque bona salva sunt neque publican-
« tur, extra finem exagitaverit, vexarit et raptarit, eadem lege tenetor, qua is, qui tale quid
« in Attica terra facere ausus sit."

Hanc legem agere de homicidis imprudentibus orator e duabus definitionibus in ea obviis ostendit, nimirum *τῷ τε ἐξεληλυθότων εἰπεῖν (τὸν νομοθέτην) ἀλλὰ μὴ πεφευγότων, καὶ τῷ διορίζειν, ὧν τὰ χρήματα ἐπίτιμα. τῶν γὰρ ἐκ προνοίας (ἀνδροφόνων) δεδήμευται τὰ ὄντα.*

Nobis autem ad rectam hujus legis intelligentiam explicanda sunt tria haec capita: I. Quinam homicidae imprudentes habendi sint? II. Qua poena afficerentur? III. Quousque poenas ab iis sumere eosque persequi licuerit occisi propinquis?

I. Homicidas imprudentes fuisse eos, qui non occidendi animo aliquem interfecerant, per se patet: statuere autem, quando Atheniensium legislatores et post eos de tali re judices illam *προνοίαν* intellexerint, difficilius neque ita expeditum nobis videtur. Loca, quae huic quaestioni aliquid lucis praebent, perpauca sunt aut potius unus tantum exstat, quem adscribere ideo non superfluum judico: est autem apud Plat. de leg. lib. IX p. 265 B. ed. Lips.: *ἐὰν δ' αὐτόχειρ μὲν, ἄκων δὲ ἀποκτείνῃ τις ἕτερος ἕτερον, εἴτε τῷ ἑαυτοῦ σώματι ψιλῷ εἴτε ὀργάνῳ ἢ βέλει ἢ πώματος ἢ σίτου δόσει, ἢ πυρὸς ἢ χειμῶνος προσβολῇ ἢ στερήσει πνεύματος, αὐτὸς τῷ ἑαυτοῦ σώματι ἢ δι' ἑτέρων σωμάτων, πάντως ἔστω μὲν ὡς αὐτόχειρ*, etc. Ex hoc loco id saltem apparet, iisdem fere modis caedem *ἀκούσιον* potuisse perpetrari atque *ἑκούσιον* et solam *τοῦ δράσαντος* voluntatem spectatam fuisse. Si v. c. quis teli jactu aliquem interfecisset, judicibus perscrutandum erat, utrum interfectus an is, qui interfecerat, in culpa esset. Ita apud Antiph. in orat. *φόνου ἀκουσίου* reus se a talis caedis suspicione defendit dicens, « ipsum interfectum currendo teli jactui sese obtulisse « neque igitur se *ἀκούσιον φόνον* perpetrasse." At hanc tum perpetravisset, si, dum in quemdam scopum dirigebat telum, alterum longe ab illo scopo remotum attigisset et occidisset. Cum autem maximi esset momenti, utrum quis *ἀνδροφόνος ἑκὼν* an *ἄκων* haberetur, non mirum videri potest, hujus criminis dijudicationi singulare judicium fuisse constitutum, nimirum *τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ*, de quo agit orator p. 27 v. 19 et ss.

II. Quum igitur judices pronunciassent, *ἄκοντα* aliquem esse *ἀνδροφόνον*, tum neque *ὁ διώκων τοῦ δεδρακότος κύριος* neque alius quisquam fiebat *πλὴν ὁ νόμος*. *Lex* statuebat supplicium, praeter quod non aliud irrogari poterat. Quodnam autem fuerit, nunc nobis indagandum est. — *Νόμος κελεύει*, ut ait Demosthenes p. huj. orat. 27 in fine, *τὸν ἁλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ ἔν τισιν ὡρισμένοις χρόνοις ἀπελθεῖν ταχτὴν ὁδὸν καί φεύγειν.* Relinquenda ei erat patria, in exsilium eundum: id autem non erat *ἀειφυγία*, sed tantum *φυγὴ ἔν τισιν ὡρισμένοις χρόνοις.* Ex aliis locis, quae Petitus ad hanc legem attulit, patere videtur (quamquam non ita manifesto, quod Scholiastarum sunt commenta), illos *χρόνους* fuisse annum, unde *ἀπενιαυτισμὸς* illud exsilium vocatum est. Huic opinioni favet locus Platonis in lib. IX de legibus p. 266, E, huic caedi exsilium annuum statuere volentis (1).

Per illud annuum spatium bona ejus erant *ἐπίτιμα*, i. e. non publicabantur, neque accusatori aut fisco addicebantur, sed salva manebant, donec reverteretur et ut Harpocration dicit: *ἐξουσίαν εἶχον* tales homicidae *εἰς διοίκησιν τῶν ἰδίων.* Fortasse per illud tempus magistratus aliquis aut homicidae propinquus illorum bonorum curam gerere debebat.

Exacto exsilii tempore, licebat homicidae in patriam redire; sed ut in ea sine alicujus offensione reverti posset, necesse erat, ut quos plurimum offendisset, placaret et, ut Demosthenes ait, tamdiu exsulabat, *ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος, τηνικαῦτα δ' ἥκειν δέδωκεν:* p. 28 initio. Item ex loco orat. Dem. in Macart. p 177: *ἐὰν δὲ αἰδέσασθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ, ἢ*

(1) Quod autem idem Petitus docere vult, voces *ταχτὴν ὁδὸν* indicare, deportationem fuisse in insulam, mihi non placet, et illud *ταχτὴν* potius etiam de tempore explico, non de loco, *et* quod nullum talis supplicii apud Athenienses invenitur exemplum, *et* quod ex aliis locis patet, licuisse tali homicidae quocumque vellet proficisci, dummodo *τοῖς νομίμοις* abstineret.

ἀδελφὸς, ἢ υἱεῖς, πάντας, ἢ τὸν κωλύοντα κρατεῖν. ἐὰν δὲ τούτων μηδεὶς ᾖ, κτείνῃ δ' ἄκων, γνῶσι δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἄκοντα κτεῖναι, αἰδεσάσθων οἱ φράτορες, ἐὰν θέλωσι, δέκα, [τούτους δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἀριστίνδην αἱρείσθων. Hic locus, quamvis valde corruptus sit, tamen cum priore conjunctus indicat, αἴδεσιν illam locum habere debuisse et quidem cum proximo τῶν ἐν γένει τοῦ ἀποθανόντος, et si nullus talis exstaret interfecti propinquus, cum 10 Phratoribus ἀριστίνδην ab Ephetis electis. — Quum autem ex prioris Dem. loci allatis verbis ἕως ἂν αἰδέσηται et ex alterius loci verbis ἐὰν θέλωσι confici posset, a propinquorum et Phratorum voluntate pependisse, utrum cum tali homicida in gratiam redire vellent, nec ne, et exsilium ejus tamdiu durasse, donec hosce placasset, pauca de his locis dicenda sunt.

Voces igitur illas prioris loci ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει etc. sic explico: legislator statuit, annuum exsilium ei subeundum esse illudque spatium sufficere censuit *et* ad leniendum propinquorum dolorem *et* ad manes interfecti placandos: illud igitur exsilium illamque αἴδεσιν ita inter se conjunxit, ut altera alterum consequeretur, et talis homicida, qui supplicium lege statutum solverat, αἴδεσιν obtinere deberet. Si autem eveniret, ut propinquus placari nollet, quod secundum meam sententiam accidere fere non poterat, tum certo homicida exsilio purgatus apud magistratum quemdam de hac re queri poterat.

Quod ad alterius loci verba ἐὰν θέλωσι attinet, ea six explico: si interfecti propinqui non exstarent, v. c. si intra illud annuum spatium ultimus mortuus esset, maximum reditus ejus impedimentum sublatum erat; attamen alia etiam civitatis societas, ut ita dicam, ejus culpa socio privata erat, quae vivis propinquis interfecti simul cum iis placata fuisse videtur; iis autem deficientibus ab Ephetis eligebantur decem Phratores, qui id munus reciperent: ab horum autem voluntate pependisse, utrum illud munus suscipere vellent nec ne, ex hoc loco conficitur: si autem recusarent, fortasse alii decem ab iisdem eligebantur et si nulli invenirentur ad hoc munus obeundum, verosimillimum puto, illum ea re reditu in patriam non fuisse prohibitum; lustrationes autem et sacrificia, quae rediens homicida perficere debebat, majora fuisse. Hisce peractis in civitatem receptus fuisse videtur et in omnia civium jura et privilegia restitutus et bona ei reddita fuisse.

Caussa autem, cur etiam hoc delictum supplicio affectum sit, ex loco orat. Antiph. κατηγορία φόνου ἀκουσίου, p. 12, v. 1: ἐμοὶ δὲ οὐκ ἐλάσσω τοῦ ἕκοντος ἄκων τὴν συμφορὰν κατέστησε, haec fuisse videtur, quod quamvis non ἑκὼν caedem ille patravisset, propinquos nihilominus caro capite privaverat, qui propterea irati erant, quam iram legislator justam censuit et potius exsilio annuo alia facinora praevertere voluisse videtur, quae inter tales facile evenire possent; nisi ipsi propinqui cum homicida in gratiam rediissent.

Interfectus βιαίως, ut Plato lib. IX p. 266 ait, ἐν ἐλευθέρῳ φρονήματι βεβιωκὼς, θυμοῦταί τε τῷ δράσαντι νεοθνὴς ὢν καὶ φόβου καὶ δείματος ἅμα διὰ τὴν βίαιον πάθην αὐτὸς πεπλημμένος, ὁρῶν τε τὸν ἑαυτοῦ φονέα ἐν τοῖς ἤθεσι τοῖς τῆς ἑαυτοῦ συνηθείας ἀναστρεφόμενον δειμαίνει, καὶ ταραττόμενος αὐτὸς ταράττει κατὰ δύναμιν πᾶσαν τὸν δρασαντα, μνήμην ξύμμαχον ἔχων, αὐτόν τε καὶ τὰς πράξεις αὐτοῦ. δι' ἃ δὴ χρεὼν ἐστιν ἄρα ὑπεξελθεῖν τῷ παθόντι τὸν δράσαντα τὰς ὥρας πάσας τοῦ ἐνιαυτοῦ καὶ ἐρημῶσαι πάντας τοὺς οἰκείους τόπους ξυμπάσης τῆς πατρίδος. Ex hoc loco altera caussa confici potest, quare exsilio annuo affectus fuerit homicida imprudens: nimirum ut interfecti manes circumerrantes in

iis locis, quorum vivus particeps fuerat, et ob caedem recens in se patratam iratos absentia et abstinentia sua annua placaret et insuper *καθάρσει*, si rediret, penitus sedaret.

Tertia denique caussa, cur non impune hoc facinus manere potuerit, haec esse videtur, quod semper non omnis saltem imprudentiae culpa absolvi poterat talis homicida, quae cum alii damnum attulisset, punienda erat, quamquam, ut Demosthenes in Midiana ait p. 206 in fine, *τοὺς ἀκουσίους ἀποκτίννυντας, αἰδέσεως καὶ φιλανθρωπίας πολλῆς ἠξίωσαν οἱ νόμοι* (1), et quidem hane ob caussam, ut ex loco Antiph. *ἐκκατηγορίας τῷ ὑστέρῳ φόνου ἀκουσίου*, p. 123 v. 17, apparet, quod *ὁ ἄκων ἀποκτείνας ἀκουσίοις κακοῖς περιπεσεῖν δίκαιός ἐστιν, ὅ, τε διαφθαρεὶς οὐδὲν ἧσσον ἀκουσίως βλαφθεὶς ἀδικοῖτ' ἄν, ἀτιμώρητος γενόμενος.* Ulterior hujus loci pars etiam primam a nobis caussam allatam probat. Caeterum *αἴδεσιν* illam tali quodam sensu explicandam esse arbitror: homines, qui ita a se invicem dissenserant, quoniam alter alterum caro socio privaverat, sine placatione animorum non posse in eadem urbe habitare.

III. Restat, ut paucis dicamus, quousque homicidam imprudentem persequi occisi propinquis licuerit?

Annuum, ut vidimus, exsilium ei suscipiendum erat, quumque exsilium definiatur *esse e solo τοῦ ἀποθανόντος*, quamdiu id non reliquerat, licebat interfecti propinquis istum ex eo *ἐλαύνειν καὶ ἄγειν*, aut ad magistratum abducere: simulatque autem *πέρα τούτου ὅρων* erat, liber ab omnibus propinquorum vexationibus putabatur, imo sub legum tutela erat. Nimirum haec lex statuebat, ut qui talem homicidam, qui interfecti patriam jam reliquerat, vexaret, eidem dicae obnoxius esset, atque is, qui Athenis tali re quemdam affecisset; i. e. concedebat homicidae de hac interfecti propinquorum vexatione actionem instituere pro gravitate delicti in se commissi, aut *ὕβρεως γραφὴν* aut *τραύματος ἐκ προνοίας* aut *αἰκίας*, quo jure, ut puto, postquam in patriam, exsilio annuo exacto, redierat, uti potuit, quumque ipse interfectus esset, certo ejus propinquis per eandem legem licebat caedis actionem instituere.

Quum igitur ita anxie caverit haec lex, et ut homicida justum judicium obtineret, et ut lege, non accusatoris arbitratu puniretur, neque quidquam ultra poenam statutam pateretur, non mirum est eam a Demosthene citari, ut ostendat Aristocratei decreti *παράνομον*, qui nimirum, dum nesciret primum utrum futurum esset, ut Charidemus interficeretur, an alio quodam modo moreretur, deinde utrum voluntario an imprudenter interficeretur, tulerat, ut is, qui Charidemum interficeret, *ἀγώγιμος* esset, neque ullam accuratiorem definitionem verbis *ἄν τις ἀποκτείνῃ* addiderat.

Accedamus jam ad legem V, cujus verba haec sunt:

Φόνου δὲ δίκας μὴ εἶναι μηδαμοῦ κατὰ τῶν τοὺς φεύγοντας ἐνδεικνύντων, ἐάν τις κατίῃ ὅποι μὴ ἔξεστιν.

(1) Antiphon in *κατηγορία φαρμακείας κατὰ τῆς μητρυιᾶς*, p. 114. v. 17: *οὕτω δέ τοι καὶ ἐλεεῖν ἐπὶ τοῖς ἀκουσίοις παθήμασι μᾶλλον προσήκει ἢ τοῖς ἑκουσίοις καὶ ἐκ προνοίας ἀδικήμασι καὶ ἁμαρτήμασι.*

De hujus legis verbis ideoque etiam de ejus sensu varia a viris doctis disputata sunt, multaeque ab iis de ea ingeniosae, quamquam haud ita verae conjecturae proditae sunt. Nos secundum nostrum propositum primum de ejus verbis, deinde de sensu videbimus.

Primum quidem miror, Petitum p. 617 Wess., ubi hanc legem explicat, pro μηδαμοῦ, quod imperantis est, dedisse οὐδαμοῦ, quod unus tantum codex Parisiensis praebet, in eoque virum non ita artis Grammaticae peritia aut potius observantia, quam antiquitatis cognitione insignem lapsum esse puto.

De altera diversa lectione, quae potius ad sensum pertinet, infra disserendi occasionem habebimus.

Verba igitur, sicut hic leguntur, ita verto:

« Caedis actionem nullo modo instituere liceat in illum, qui exsules per ἔνδειξιν ad magistratum « detulerit, si (eorum) aliquis redierit, quo non licet (redire)."

Hanc legem Salmasius, ut ab eo incipiam, ita transponit: τοὺς φεύγοντας ἐνδεικνύντων, ἐάν τις κατίῃ ὅποι μὴ ἔξεστι, φόνου δὲ δίκας μὴ εἶναι. et tum sensus hic est: « Exsules deferunto, si quis « redierit, quo non licet; caedis vero actionem ne instituant." Primo adspectu non ita displicet hoc Salmasii commentum; quum autem accuratius perpenditur totus hic locus et legis verba cum iis, quae orator de ea dixit, conferuntur, falsum esse invenitur. Hoc probare tentemus.

Primum igitur valde mihi in illa Salmasii transpositione displicet haec verborum structura: τοὺς φεύγοντας ἐνδεικνύντων — φόνου δὲ δίκας μὴ εἶναι: quamquam enim et imperativus et infinitivus hoc sensu insurpantur, tamen hoc loco, quum per vocem δὲ copulati sint, admodum insolenter positos eos esse puto: si per vocem γὰρ disjuncti essent, me non offenderent. Insuper legi ita ordinatae aliquid nimis vagi et indeterminati inesse puto, quod melius sentio quam exprimere possum.

Si autem legem ita transpositam cum iis, quae orator dicit, conferimus, nullius pretii, imo improbanda esse videtur Salmasii illa nimis ingeniosa mutatio. Ut hoc probemus, primum, quod in superioribus legibus in finem rejecimus, indagemus, quo consilio haec lex ab oratore adscripta sit. Id ex ejus verbis hoc fuisse apparet, ut ex ea ostendat, Aristocratem, qui decretum tulerat: « *Charidemi interfector* ἀγώγιμος ἔστω" nihilque amplius addiderat, quique per id decretum ideo etiam voluerat, interfectorem illum ἀγώγιμον esse ἐντεῦθεν, ὅποι φεύγειν οὐδεὶς κωλύει νόμος, παράνομον scripsisse, legem enim a se allatam concedere tantum sine capitis periculo ἐνδεικνύναι (i. e. non idem atque ἀπάγειν, etiam multo minus quam ἄγειν) idque non ubique, sed tantum, si quis rediret, quo non licebat illi reverti, i. e. in eam terram aut ad ea loca, quae supra enumerata invenimus. Haec profecto multo melius ex lege sic ordinata, ut vulgo proditur, efficiuntur, quam si secundum Salmasii modum transponitur; melius ex lege, quae statuebat, sine capitis periculo licere redeuntem ἀνδροφόνον deferre (nam hoc est φόνου δίκας μὴ εἶναι μηδαμοῦ), quam ex lege statuenti tantum, qua actione redeuntes ἀνδροφόνοι in jus vocari deberent. Etiam quod statim post legem lectam adjunxit Demosthenes, eam esse Draconis, sententiae vulgo acceptae favere videtur: ea enim additione subindicare mihi videtur orator, legem paulo severiorem esse et crudeliorem, quoniam ἐνδείξεως usus per eam nimis facilis reddebatur

atque ideo aliquantum Aristocrati favere videbatur: quare etiam nullam eum extremae partis, φόνου δὲ δίκας μὴ εἶναι, mentionem fecisse puto, eaque verba tantum ideo transposuisse per vocem δίδωσιν. Rationem autem, quam affert Wesselingius ad Pet. p. 617: « permirum videri sibi, « legislatorem vetare, hominem caedis damnatum et propterea exsulantem caedis reum fieri," propter quam rationem Salmasii lectionem improbat, non ita probandam esse existimo; nam revera credo et propter naturam ἐνδείξεως, quae locum habebat in iis criminibus, quae οὐ κρίσεως, ἀλλὰ τιμωρίας ἐδέοντο, et propter sanctitatem tribunalis, quod antea de eo homicida sententiam tulerat eumque condemnaverat, alteram ejusdem actionis institutionem improbandam fuisse: si enim caedis actio iterum institueretur, illud judicium eaque condemnatio antea de eo pronunciata pro nihilo haberi videbantur. Imo ea sola ratio esset, propter quam Salmasii sententiam probarem, nisi aliis majoribus supra allatis documentis deterrerer, quibus hoc addo, quod orator legem eodem sensu explicat. — Eam igitur ita ordinatam explicemus.

Hanc legem esse alicujus legis prolixioris partem credit Taylorus, idque indicare videtur illi connectiva particula δὲ ab initio; eam itaque subjungere vult legi pag. 15 citatae, quarum legum ita adnexarum hic sensus et tenor est: « Homicidam exsulantem et abstinentem iis locis, quo « accedere non licet, si quis occiderit vel quocumque modo causa exstiterit, ut occidatur, contra « interficientem vel eum, qui internecionis causa exstiterit, actiones caedis sunto, perinde uti « si quis interfecerit civem Atheniensem. Verum si non abstinuerit, sed redierit, quo non « oportet, ad judicem deferunto; contra eum vero, qui detulerit et internecionis causa exstite- « rit, actiones caedis ne sunto."

Petitus p. 617 Wess. eam subjungere videtur legi proxime antecedenti; quod si verum esset, de homicidis imprudentibus explicanda foret, quod mihi non ita videtur. Neque etiam illa Taylori sententia mihi probata est. Quamquam enim in interpretatione Latina sensus optime procedit, hoc non ita sese habere mihi videtur in Graeca structura. Paullo post Taylorus sibi ipse obloquitur legem ita interpretans: κατὰ τῶν ἐνδεικνύντων φόνου δίκας εἶναι πλὴν τῶν ἐνδεικνύντων τοὺς φεύγοντας. Si enim haec lex pars est legis a Tayloro allatae, nulla ratio habenda est varii falsae ἐνδείξεως supplicii, sed tantum id spectatur, quod in priore legis particula φόνου δίκαι conceduntur, in altera abnegantur. Potius statuerem, hanc legem sequi alias leges, quae hic non citantur, in quibus agebatur de iis, qui actioni de caede obnoxii erant, a quibus ii excludebantur, qui homicidam damnatum quique eo redierat, quo non licebat, detulerant, eaque delatione proprie auctores ejus caedis exstiterant. Hoc enim revera sese ita habere sequitur ex ἐνδείξεως natura, quam breviter explicare seu potius de qua repetere, quae alii jam dixerunt, haud alienum erit. Ἔνδειξις. Haec vox ipsa indicat, agi de crimine, de quo constabat quodque ideo non amplius demonstrandum et probandum erat actori: tantum ei erat indicandum, revera eum, quem ἐνεδείκνυε, esse ejus criminis antea condemnatum eundemque, qui exsilio voluntario supplicium evitaverat: hac in re enim videntur a se invicem differre haec lex et secunda, in qua conceditur interficere et ἀπάγειν homicidam, quod in hac lege de iis agitur, qui ante aut post condemnationem se exsilio voluntario substraxerant supplicio, secunda autem illa ad eos homicidas referenda imprimis videtur, qui post condemnationem, aut omnino post

patratam caedem patrium interfecti solum nondum verterant. In caeterorum ἐνδείξεσι criminum, v. c. acrariorum etc., actori accusatio sua scripto consignata magistratibus, ad quos pertinebat illud ἐνδείξεως genus, tradenda erat, primum ut hi scirent, qua de re indicaret, tum ut secundum illud scriptum interrogari posset reus, tum denique ut certissimum exstaret monumentum, quinam actor fuisset, si judicaretur hic falso aliquem detulisse, aut si post delati supplicium appareret, insontem damnatum fuisse. Si hoc ulterius eveniret, delator ille tum 1000 Drachmarum poenam solvere debebat et ἄτιμος erat κατὰ προστάξεις; tum etiam nonnumquam caedis actio in illum institui poterat, quum nimirum ipse per ἔνδειξιν alium interficere conatus fuisset et βουλεύσεως crimini obnoxius esse videretur; aut etiam quod revera aliquem per ἔνδειξιν interficiendum curaverat, quum neque judices brevi illo tempore, intra quod haec actionis forma finiebatur, omnia testimonia, neque reus defensionis suae argumenta colligere potuissent, et judices, bonae actoris fidei confisi, insontem condemnassent. Hoc autem etiam in delatione hac lege memorata fieri poterat, ut nimirum quis falso delatus insons morte afficeretur.

Nunc igitur quaestio oritur: si hoc post delati condemnationem et mortem detegeretur, essetne tunc iste delator, sicuti caeterorum criminum delatores, caedis actioni obnoxius? Hoc auctoritate hujus legis negare possumus, et praecipuas causas, cur hoc ita a legislatore statutum fuerit, enumerare conabimur. Harum primam esse putamus, ut propter talia crimina exsulantes quam maxime a sua terra deterreret. Hujus ejusdem consilii vestigium invenimus in Heliastarum jurisjurandi hac particula: οὐδὲ τοὺς φεύγοντας κατάξω, οὐδὲ ὧν θάνατος κατέγνωσται. Item in Senatorum jurerando post rempublicam a Thrasybulo liberatam, οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων. Hic autem hujus legis et caeterorum, quae memoravimus, institutorum animus primo adspectu nimis severus esse videri possit, cum aliquem deferre licere statuant et insuper, etiamsi falsa inveniatur ista delatio, tamen delatorem caedis postulari vetet: sed si reputamus primum, jure ita statuere legislatorem, tum exsulem haec antea scivisse, quam in patriam rediret, atque igitur eam severitatem evitare potuisse, tum nobis concedendum erit, praecipue propter finem legislatori propositum, qui finis hoc casu erat, erat saltem in opinione hominum tunc temporis, bonum, salus, religio totius civitatis intacta, legem non ita improbandam esse. Eadem illa severitas etiam minor nobis videbitur, si perpenderimus id, cui alteram hujus legis sancitae causam inesse puto, non ita facile falli potuisse istius ἐνδείξεως judices, atque igitur haud facile insontem potuisse condemnari: nam aut eodem anno statuendum est detulisse aliquem exsulem, ut ferebat, in patriam reversum, aut sequenti tempore. Si eodem anno deferret, IX archontes in ea ἐνδείξει judicabant, quorum unus antea ἡγεμὼν δικαστηρίου fuerat (1). nimirum Βασιλεύς, cui talem caussam adhuc recentem in memoria versatam fuisse verosimile est, quum tot ceremoniis investigata et dijudicata esset. Si sequenti tempore, qui tum archontes erant, adiisse puto archontem, qui ei judicio praefuerat, si adhuc viveret, aut evolvisse actorum publicorum tabulas, quas certo exstitisse puto quaeque tam illustris causae accuratam descriptionem tum quod ad res, tum quod ad personas continebant: quo utroque perscrutandi modo non multum temporis terebatur.

(1) Haec enim in re tam incerta verosimillima videtur Platneri sententia, quam lubens amplexus sum.

Denique legislator approbavisse videtur iram, quam in homicidam alebant interfecti propinqui, quam etiam causam fuisse puto, cur hanc legem ita tulerit. Judicavisse enim videtur, primum dolorem istum propinquorum, qui justo homicidae supplicio lenitus non erat, quod hic exsilio id evitaverat, facile falli posse in ejus persona: tum etiam fore, ut judices, quos, ut ostendimus, fallere non ita facile erat, ipsi omnem negligentiae culpam non plane a se removere possent, si insons damnaretur, et ut iidem, si in falsum delatorem, ob eamque causam alicujus caedis auctorem, caedis actio institueretur, ἡγεμόνες essent judicii de eo, quocum eundem insontem sua negligentia interficiendum curaverant, quod absurdum futurum esse sensisse videtur legislator.

Hac igitur ratione videmus commodissime hanc legem explicari posse, neque ulla opus esse mutatione: quare etiam in sententiam a Schöm. et Meiero de lite Attica p. 309 propositam, qui nimirum pro ἐνδεικνύντων dant ἐνκτιννύντων, concedere nequeo, imprimis etiam ob hanc causam, ne alias enumerem, quod cum interpretatione, quam hujus legis praebet ipse orator, nullo modo ista mutatio conveniat.

Caeterum puto, falsum delatorem eidem supplicio fuisse obnoxium ac caeteros omnes publicarum actionum delatores, quod ad poenam 1000 Drachmarum et ἀτιμίαν κατὰ προστάξεις attinet. Fortasse etiam aliae publicae actiones in illum institui potuerunt, v. c. συκοφαντίας, ὕβρεως etc., in qua opinione me confirmat ipsa haec lex, nominatim φόνου δίκας excipiens, quasi tacite subaudiri velit, « at alia actio in illum instituatur."

Causam, cur hanc legem attulerit orator, supra jam tradidimus, atque igitur transire nos posse putamus ad sequentem legem.

Hactenus adscripsit orator eas leges, quibus continebantur actiones quasi et formulae, quare et quomodo quis caedis postulari posset, aut saltem quomodo ob caedem quocumque modo commissam jus dicere cogi posset: duabus autem seqq. legibus agitur de conditionibus, ob quas alteri alterum interficere liceat, atque igitur ob quasnam caedes aliquem in jus rapere aut vocare prohibitum sit: « In Themide enim Attica," (ut Taylorus ad legem antecedentem annotavit, quem exscribere lubet) « ubi legislator, quid cuivis liceret et patere voluit, id potissimum sancivit hac « ratione, primum permittendo, deinde omni excluso aditu ad litem ineundam ei, qui « contra venire vellet."

Transeamus igitur ad prioris legis interpretationem.

Ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄκων, ἢ ἐν ὁδῷ καθελὼν, ἢ ἐν πολέμῳ, ἀγνοήσας, ἢ ἐπὶ δάμαρτι, ἢ ἐπὶ μητρὶ, ἢ ἐπ' ἀδελφῇ, ἢ ἐπὶ θυγατρὶ, ἢ ἐπὶ παλλακῇ, ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα.

Hoc modo interpuncta atque his verbis legitur in edit. Tauchnitz. At, ut in plerisque obtinet, neque hic consentiunt viri eruditi: horum igitur opiniones et conjecturas secundum nostrum propositum enumeremus, tum quae nobis optima videtur, sententiam eligamus. Magis

autem versantur istae controversiae circa verborum sensum, quam circa ipsa verba: de his enim plerique consentiunt, exceptis Marklando et Seagero, quorum ille pro *καθελὼν* legere vult *οὐκ ἐθέλων*, et quidem Homerici versus exemplo:

Παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος
Νήπιος οὐκ ἐθέλων.

Mihi autem satis id indicatum esse videtur voce *οἴκων*: de hac conjectura paullo post disserendi occasionem habebimus: hic autem, Seagerus, pro *ἐν ὁδῷ* conjecit *ἐν ὄχλῳ*, in turba; etiam de hac conjectura post dicemus. Denique Codex unus Coislinianus praebet *ἢ ἦν*, atque igitur inter *παλλακὴν* et ea quae sequuntur distinguit: quid pro vero habendum sit, videbimus, ubi de singulorum hujus legis capitum sensu agemus, ad quod nunc transeo.

Primum igitur lex agit de eo, qui *ἀποκτείνῃ τινὰ ἐν ἄθλοις ἄκων*. Erant Athenis et in Graecia, ut notum est, varii ludi in honorem alicujus Dei Deaeve instituti, in iisque varia inibantur certamina, inter alia *πυγμὴ*, pugilatus, et *πάλη*, lucta. Qui in ea descendere volebant, se diu antea exercebant et corpora ad plagas durabant, quum nescirent, quam fortem et exercitatum *ἀνταγωνίστην* adepturi essent, et caestu ad pugilandum uterentur, cui inerat massa plumbea vel ferrea, ad cujus ictus magna vi plerumque illatos, sustentandos magna corporis duritie requirebatur, ad evitandos autem haud parva alacritas. Poterat autem fieri, ut talis ictus adversario mortem afferret, sive hic minus ad tale certamen instructus et exercitatus esset, sive quacumque de causa eum evitare et avertere non potuisset.

Si hoc eveniret, quid tum de altero agebatur, qui proprie homicida exstiterat? utrum tamquam homicida in jus rapi aut vocari poterat ab occisi propinquis et omnibus locis, quibus huic abstinendum fuisse vidimus, ut tutus esse vellet, ei abstinendum erat, an non? Posterius hujus legis auctoritate probare possumus. Si enim, ut ait Demosthenes, *τὶς ἐν ἄθλοις ἀποκτείνῃ τινά, τοῦτον ὥρισεν οὐκ ἀδικεῖν*, simul causam addens hancce: quod *ὁ ταῦτα ἐξαρχῆς διελὼν οὐ τὸ συμβὰν ἐσκέψατο, ἀλλὰ τὴν τοῦ δεδρακότος διάνοιαν*, quae *διάνοια* in certaminibus unicuique erat *ζῶντα νικῆσαι, οὐκ ἀποκτεῖναι*. Neque justas legislator existimavit occisi propinquorum querimonias, neque occisi ipsius circumerrantes manes metuit, quod *ἑαυτῷ τοῦ πάθους αἴτιος* exstiterat, quum *ἀσθενέστερος ὢν τὸν ὑπὲρ τῆς νίκης πόνον ἐνεγκεῖν* non potuisset. — Etiam Plato lib. IX de legg. p. 265 ed. Lips. tales homicidas *καθαροὺς εἶναι* dicit *κατὰ τὸν ἐκ Δελφῶν κομισθέντα νόμον*. Et insuper addit: *ἐν ἄθλοις δημοσίοις* et *εἴτε παραχρῆμα εἴτε καὶ ἐν ὑστέροις χρόνοις*, i. e. sive dum cum eo dimicabat, aut aliquantum temporis post ex plagis earumque effectibus moreretur.

Quamvis autem ex hisce appareat, nullam lege contra talem homicidam concedi actionem neque ullam *τιμωρίαν* in eum fuisse statutam, tamen non plane vero dissimile videtur, si statuamus, eum, qui tali fortuna usus fuisset, ob decoris formam vel forte etiam ob anxiam religionis observationem aliquantum temporis abstinuisse iis locis, in quibus occisi manes circumerrare credebantur, quo voluntario exsilio simul afflictos propinquorum animos sedaret ac placaret.

Supra dixi, non licuisse illum in jus vocare aut rapere: attamen vox *ἄκων* in lege obvia indicare videtur, quamdam de ejus *διανοίᾳ* habitam fuisse *διαδικασίαν*, quam propter exemplorum penuriam accuratius describere aut definire non possumus.

Secundum legis caput nobis esse videtur: *ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ὁδῷ καθελὼν ἢ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας*, in quo voces *καθελὼν* et *ἀγνοήσας* et ad *ἐν ὁδῷ* et ad *ἐν πολέμῳ*, Reiskii et Schaeferi exemplo, pertinere puto, neque igitur illas distinctiones post *καθελὼν* et *πολέμῳ* positas probo, easque propter hanc causam omittendas esse credo.

Imprimis vero de priori hujus capitis membro dissenserunt viri docti. Wolfius ista *(ἐν ὁδῷ)* interpretatus est *in itinere:* cui non defuere refutatores, Taylorus nimirum, Marklandus, alii, quorum uterque explicat *ἐν λόχῳ*, quod tali sensu etiam Homerus hac voce usus est in Iliad. A v. 151.

Ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι ἢ ἀνδράσιν ἶφι μάχεσθαι.

Ad quem versum Eustathius etiam hunc Demosthenis locum affert, ubi eodem sensu *ἐν ὁδῷ*, pro *ἐν λόχῳ* nimirum, occurrere dicit. Vertunt igitur illi viri *in insidiis*, quod Schaeferus probat.

At Reiskius eam vocum *ἐν ὁδῷ* explicationem pro nugis Grammaticorum habet ac nimis quaesitam et contortam vocat. Hic autem explicat ut Wolfius, *in via publica*, et hunc sensum ei interpretationi adjungit, quod nimirum fieri posset, ut media in via publica sive in urbe sive rure oriretur inter duos contentio et inde pugna caedesque, sive ea via ampla et lata esset sive callis angustus, sive aliis de causis, sive de ipso eo, quod alter ab altero ut sibi decederet postularet de via, alter nollet. Et ad firmandam hanc suam sententiam Oedipi Laiique exemplum affert. Caeterum duo priores mirantur, Demosthenem has voces non interpretatum fuisse. Reiskius autem putat, Demosthenem eas certo explicaturum fuisse, si talis vis insolentior vocabulo *ὁδός* inesset, nunc autem ea interpretatione opus non esse, cum planissima esset. Schaeferus denique illam vocis *ὁδὸς* vim non insolentem fuisse putat, sed unicuique Atheniensium ex Homero notam; neque igitur miratur, Demosthenem eam interpretationem omisisse. Supra jam memoravi Marklandi Seagerique conjecturas.

Ecce omnes virorum doctorum sententias, quarum verosimillima mihi videtur eorum, qui *ἐν ὁδῷ* *in insidiis* interpretantur. De bello enim statuens legislator, utrumque casum, quo caedes involuntaria perpetrari possit, enumerat, nimirum in insidiis et in ipsa dimicatione pugnae, cum ex hisce totum bellum constet et ab antiquis, Homero aliisque ita distinctum sit. Non autem ita facile intelligo, quomodo quis per inscitiam aliquem in dimicatione, aperto marte interficere possit, cum certo quaedam insignia uterque exercitus et hostilis et amicus gestarent, quibus a se invicem distingui possent: neque aliter hoc explicari posse puto, quam quod iste *ἀποκτείνας* pugnandi ardore abreptus *τὸν φίλιον* a *τῷ ἐχθρῷ* discernere non potuerat, et eum propter talem causam merito excusatum arbitror. Etiam Demosthenes hoc statutum justum pulchrumque vocat hanc ob caussam, quod si *ἐγώ τινα τῶν ἐναντίων οἰηθεὶς εἶναι διέφθειρα, οὐ δίκην ὑπέχειν, ἀλλὰ συγγνώμης τυχεῖν δικαιός εἰμι.* Quia autem hanc explicationem, neque aliam video, paullo contortam esse arbitror et quaesitam, saepe cogitavi, num ista duo capita non in unum conjungi possent omissione vocis *ἢ* ante *ἐν πολέμῳ*, ut sensus hic sit: « si quis aliquem militem amicum « belli tempore, dum in insidiis contra hostes structis versatur, occidit, neque scire potuit « eum amicum esse, *καθαρὸς ἔστω.*" Tum etiam quod Taylorum, Marklandum, Reiskium torquet, quod nimirum orator vocem *ὁδὸς* non explicat, sublatum est, nam legislator eam jam

in ipsa lege interpretatur. Attamen negare nolo, structuram periodi mihi tum non ita placere, quamquam simul non video, quomodo aliter, si hoc dicere voluisset legislator, construenda ei fuisset: imo tum illae voces *καθελὼν* et *ἀγνοήσας*, quarum priorem Marklandus, ut ostendimus, sine caussa in *οὐκ ἐθέλων* mutare vult, optime inserviunt ad istud caput connectendum. Judicent igitur viri eruditi.

In causis autem, cur Reiskius *in insidiis* vertere noluerit, etiam haec est: quod tum: « Latro« nes, insidiis qui praetereuntes excipiunt, ab hac lege absolventur." Hanc viri docti rationem nihili ducendam esse sponte apparet: non enim statuit legislator eos, qui aliquem ex insidiis interficiunt, esse impunes, sed eos, qui aliquem in insidiis degentem et propter eam causam non unicuique conspicuum, occidunt. Recte autem Marklandum et Taylorum Wolfii sententiam, quam postea suam fecit Reiskius, improbasse puto. Nam revera si ita statuisset legislator, sicarii et grassatores, qui aliquem in via prostraverant et occiderant, non exsulabunt, sed tuti in patria manebunt. Explicationem enim Reiskii de via lata cet. nimis quaesitam et pro legis forma, qua semper, quam accuratissime fieri potest, omnia definiuntur, nimis vagam et latam esse puto, nimiumque, si hoc significat *ἐν ὁδῷ*, judicum arbitrio esse relictum, quam ut simul adderet: *τούτου ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα.*

Quod Seagerus *ἐν ὁδῷ* in *ἐν ὄχλῳ*, in turba, mutare vult, etiam nimis latae et vagae arbitror esse significationis, quam ut in lege certi quid de tali re sanciri posset, imprimis autem de homicidio in turba commisso.

Sequitur in lege: *ἢ ἐπὶ δάμαρτι, ἢ ἐπὶ μητρὶ ἢ ἐπ' ἀδελφῇ, ἢ ἐπὶ θυγατρὶ ἢ ἐπὶ παλλακῇ, ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ.* In explicando hoc capite hanc viam sequemur, ut primum videamus et ex aliis locis illustremus, quid adversus adulteros et quibusnam concessum sit. II. Quare id concessum fuerit. III. Tum denique utrum semper eo jure usi fuerint *οἱ ὑβριζόμενοι*, an alio etiam modo poenas ab adultero sumserint.

Ut primae quaestioni recte respondeam, primum exponam necesse est, quinam moechi habiti fuerint, deinde qua poena, quando et a quibusnam lex tales affici concesserit, tum denique quinam moechi hac lege indicari videantur.

Themidem Atticam inter moechos distinxisse e variis locis confici potest: eam autem duplex istorum genus statuisse patet imprimis ex loco Lysiae in Apologia *ὑπὲρ Ἐρατοσθένους φόνου: οὕτως ὦ ἄνδρες τοὺς βιαζομένους ἐλάττονος ζημίας ἀξίους ἡγήσατο εἶναι ἢ τοὺς πείθοντας· τῶν μὲν γὰρ θανάτου κατέγνω, τοῖς δὲ διπλοῦν ἐποίησε τὴν βλάβην· ἡγούμενος τοὺς μὲν διαπραττομένους βίᾳ ὑπὸ τῶν βιασθέντων μισεῖσθαι, τοὺς δὲ πείσαντας οὕτως αὐτῶν τὰς ψυχὰς διαφθείρειν, ὥστ' οἰκειοτέρας αὑτοῖς ποιεῖν τὰς ἀλλοτρίας γυναῖκας, ἢ τοῖς ἄνδρασι καὶ πᾶσαν ἐπ' ἐκείνοις τὴν οἰκίαν γεγονέναι· καὶ τοὺς παῖδας ἀδήλους εἶναι ὁποτέρων τυγχάνουσιν ὄντες τῶν ἀνδρῶν ἢ τῶν μοιχῶν, ἀνθ' ὧν ὁ τὸν νόμον τιθεὶς, θάνατον αὐτοῖς ἐποίησε τὴν ζημίαν.* Eosdem *μοιχοὺς* indicare videtur Xenophon in Hierone Cap. III § 3 et 4. Hi igitur moechi habiti sunt, qui aut vi aut persuasione et illecebris alterius uxoris, aut etiam talis personae, cujus *κύριος* erat aliquis, pudicitiam expugnabant: non autem ii, qui *ἐν* alicujus *ἑταίρᾳ* vel quacumque communi omnibus muliere deprehendebantur, nam, ut Dem. in orat. contr. Neaeram dicit p. 172: *Νόμος οὐκ ἐᾷ ἐπὶ ταύταις μοιχὸν λαβεῖν, ὁπόσαι ἂν ἐπ' ἐργαστηρίῳ κάθωνται, ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλοῦσί τι* etc. Videamus nunc, qua poena tales affici potuerint.

E variis Lysiae locis ex oratione saepius laudata (quaeque facit, ut jacturam ejus orationis in Autocratem *μοιχείας*, etiam magis doleamus) patet, *τοὺς πείθοντας μοιχοὺς* morte plecti potuisse idque impune, *τοὺς βιαζομένους* autem (1) *διπλῆν τὴν βλάβην ὀφείλειν*: et ex locis supra allatis facile jam confici potuit, unde haec poenarum diversitas orta sit, quod nimirum *ὁ πείθων* uxoris amicitia, quae summum hominibus bonum jure censetur, maritum privabat, *ὁ βιαζόμενος* autem efficiebat, ut uxor illum etiam magis propter vim sibi illatam odisset. Si autem alius atque ipse maritus ab uxore amatur, iste ut domus et familia sibi pareat et serviat efficit atque insuper prohibet, quominus legitima certaque proles exsistat, quum non constet, cujusnam sit, *τοῦ μοιχοῦ* an *τοῦ ἀνδρὸς*: quae tanta judicavit legislator esse flagitia, ut morte ea puniri concesserit.

Attamen quoniam de vita hominis agebatur, simul idem legislator voluit, ut certo de eo constaret, eum *μοιχὸν* esse, ideoque statuit, ut liceret istum interficere *ἐπὶ δάμαρτι* vel *ἐπὶ μητρὶ* cet., id est *ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντα* vel *ἐν ἔργῳ*, in facinore: quod si locum non habebat et tamen quis adulterum aliquem esse credebat, sanxit, ut per *γραφὴν μοιχείας*, si *πείθων* alicujus pudicitiam expugnasset, per *βιαίων* autem vel *ὕβρεως γραφήν*, si *βιαζόμενος* idem perpetrasse videretur aliquis, jus suum persequeretur talis personae *κύριος*: ut si judicibus, qui hoc casu accuratius et magis anxie quaeque investigare poterant, facinus patrasse videretur, eadem poena plecteretur adulter, qua, si *ἐν ἔργῳ* deprehensus fuisset, a *τῷ κυρίῳ* affici potuisset: hoc enim sequi mihi videtur ex Lysiae orat. cit. his verbis: *γυναῖκας τοίνυν τῶν πολιτῶν τοιοῦτος ὢν μοιχεύειν καὶ διαφθείρειν ἐλευθέρας ἐπεχείρησε καὶ ἐλήφθη μοιχὸς καὶ τούτου θάνατος ἡ ζημία ἐστί*, et ex pag. 94: *οὕτως, ὦ ἄνδρες, ἐκεῖνος τούτων ἔτυχεν, ὥνπερ καὶ νόμοι κελεύουσι τοὺς τὰ τοιαῦτα πράττοντας*, quo loco loquitur de justo supplicio, morte scilicet, qua Eratosthenes judicum suffragiis affectus erat. Licebat igitur *τῷ κυρίῳ τοῦ αἰσχυνομένου, ἐν ἔργῳ* interficere adulterum, *τὸν πείθοντα* nimirum, non autem *τὸν βιαζόμενον*.

Ex hisce tamen quaedam oriuntur quaestiones, quas omnes doctioribus enucleandas relinquo; inter alias: quomodo *ὁ κύριος τὸν βιαζόμενον* a *τῷ πείθοντι* discernere potuerit? Quid cum eo ageretur, si *τὸν βιαζόμενον* primo irae impetu interfecisset? Utrum tantum *τῷ κυρίῳ* licuerit poenas ab adultero sumere, an etiam alii cuicumque forte obvio?

Hoc tantum adhuc monere volo, *τὸν κύριον* et interficiendi et accusandi jus amisisse, si ipse adulterii causam praebuisset.

Ad finem hujus primae quaestionis paucis videamus de significatione vocum *ἐπὶ παλλακῇ, ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ*. Varie enim ea verba a Taylero et a Reiskio explicata sunt.

Ille nimirum interpretatur de concubina, quam quis liberis ingenuis suscipiendis et quasi uxorem domi habet; hic autem de muliere, quam quis domi suae habet *ἐπὶ παίδων ἐλευθέρων θεραπείᾳ καὶ παιδείᾳ*. Tayloro assentitur Schaeferus.

Rursus alii ante *ἣν ἐπ' ἐλευθέροις* addunt *ἢ* atque igitur inter duas istas personas distinguunt.

Ego ad Taylori et Schaeferi sententiam accedo, tum propterea, quod non credo *ἑταίραν* et *παλλακὴν* easdem esse, propter quam causam Reiskius eam Taylori interpretationem rejecit; tum

(1) Quamquam Plato in libro de leg. IX p. 276 etiam hos morte plecti posse statuit.

quod tales concubinae inveniuntur apud Athenienses; tum denique quod proles e tali concubina suscepta aeque certa debebat esse, ut legitima haberi posset, ac proles ex uxore legitima, quod fieri non poterat, si adulterium cum illa permissum esset. Si cum Reiskio explicas, nullam tantam causam invenies, ob quam adulterum *ἐπὶ ταύτῃ* inventum occidere licuerit, nisi esset corruptio morum liberorum ingenuorum ejus curae traditorum. Caeterum Lysiae locus quidam p. 94 v. 32 in eadem oratione Taylori interpretationi favet: ubi haec dicuntur: *καὶ οὕτω σφόδρα ὁ νομοθέτης ἐπὶ ταῖς γαμεταῖς γυναιξὶ δίκαια ταῦτα (τὸ νηποινεὶ ἀποκτεῖναι* etc.) *ἡγήσατο εἶναι, ὥστε καὶ ἐπὶ ταῖς παλλακαῖς ταῖς ἐλάττονος ἀξίαις τὴν αὐτὴν δίκην ἐπέθηκεν*, simul causam addens, *καίτοι δῆλον ὅτι εἴ τινα εἶχε ταύτης μείζω τιμωρίαν ἐπὶ ταῖς γαμεταῖς ἐποίησεν ἄν, νῦν δὲ οὐχ οἷός τε ὢν ταύτης ἰσχυροτέραν ἐπ' ἐκείναις ἐξευρεῖν, τὴν αὐτὴν καὶ ἐπὶ ταῖς παλλακαῖς ἠξίωσε γίνεσθαι*. Etiam Grammaticus praepositionis *ἐπὶ* usus eidem sententiae non adversatur. Cf. de eo Matth. Gramm. § 586. Unicus locus Reiskio favere videtur, quamquam adversus hanc ipsam legem et Lysiae allata verba nihil valet; est in orat. Dem. in Neaer. p. 191, ubi orator *γυναῖκας* legitimas, *ἑταίρας* et *παλλακάς* inter se conferens de his postremis haec dicit: *τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος ἕνεκ' ἔχομεν*, ex quo loco certe hoc apparet, eas non ita magni pretii fuisse ductas.

Ex hisce satis apparebit, qua poena in universum affecti fuerint adulteri; nunc facile erit ostendere, quodnam eorum genus hac lege indicetur.

Ut vidimus, Themis Attica distinxit et inter adulteros et inter eorum poenas, graviores nimirum *τοῖς πείθουσι*, leviores *τοῖς βιαζομένοις*, seu mortem illis, his multam quamdam imposuit. Quum igitur hac lege inveniamus *τῷ ὑβριζομένῳ* datam esse licentiam impune interficiendi *τὸν μοιχόν*, sponte apparet, eam agere de *πείθοντι μοιχῷ*. Simul etiam ex oratoris verbis quoddam argumentum sumi potest, revera eam distinctionem in jure Attico exstitisse. Dicit enim p. 21, v. 22: *ἐὰν παρὰ τὸν νόμον εἰς αὐτὰς ὑβρίζωσι καὶ διαφθείρωσιν, ἔδωκεν ἀποκτεῖναι*: hoc loco vox *διαφθείρειν* eam morum uxoris aut alius cujuscumque personae corruptionem indicare videtur, non autem ejus corporis violationem; qua eadem significatione vocem bis apud Lysiam in orat. saepius laud. inveni p. 92 v. 8: *ἡγοῦμαι δὲ, ὦ ἄνδρες, τοῦτο με δεῖν ἐπιδεῖξαι, ὡς ἐμοίχευεν Ἐρατοσθένης τὴν γυναῖκα τὴν ἐμὴν καὶ ἐκείνην τε διέφθειρεν*, quo loco manifesto corporis violationem a morum corruptione distinguit, et loco supra allato, ubi de diversa adulterorum poena agit et eam distinctionem justam esse ostendit: *τοὺς δὲ πείσαντας οὕτως αὐτῶν τὰς ψυχὰς διαφθείρειν, ὥστε* etc. Causam autem, cur nihil amplius orator de hac distinctione addiderit, in eo sitam esse puto, quod tantum in universum decretum in hac quoque re noxium esse demonstrat, ideoque gravissimi tantum casus ei enumerandi sunt.

Haec sufficiant de prima quaestione, quid in adulteros et quibusnam concessum fuerit. Jam ad alteram quaestionem transeo.

II. Quare id concessum fuerit. Facile id ex eadem adulterorum a se invicem distinctione confici potest. Quare enim *τὸν βιαζόμενον* minore, quam *τὸν πείθοντα* poena dignum judicavit legislator?

Huic quaestioni jam respondit Lysias loco supra allato: quod nimirum hic uxorum et puellarum mores corruperat, maritum, patrem etc. earum amicitia privaverat, et ut proles dubia exsisteret, effecerat. Princeps igitur persona, ob quam id concessum fuerit, non civitas, sed *ὁ ὑβριζόμενος* erat., sive maritus is esset sive *ὁ κύριος*: altera persona, civitas, cui semper magni ductum fuit pretii

ut cives *γνήσιοι* nascerentur, quo, ut puto, arctiori vinculo patriae suae devincti essent. Primum igitur mariti iram propter tale dedecus justam esse judicavit neque comprimi ab eo posse, tantumque damnum ei illatum esse, nimirum uxoris amicitiae jactura, ut sui ipsius ultorem existere ei concesserit. Easdem tam severae animadversionis caussas invenimus in loco Lysiae p. 92 v. 8: *ἡγοῦμαι δ' ὦ ἄνδρες τοῦτο με δεῖν ἐπιδεῖξαι, ὡς ἐμοίχευεν Ἐρατοσθένης τὴν γυναῖκα τὴν ἐμὴν καὶ ἐκείνην τε διέφθειρεν, καὶ τοὺς παῖδας ἠσχυνε καὶ ἐμὲ αὐτὸν ὕβρισεν, εἰς τὴν οἰκίαν τὴν ἐμὴν εἰσιών*, et p. 94 v. 13: *μᾶλλον εἴλου τοιοῦτον ἁμάρτημα ἐξαμαρτάνειν εἰς τὴν γυναῖκα τὴν ἐμὴν, καὶ εἰς τοὺς παῖδας τοὺς ἐμοὺς ἢ* etc. et multis aliis locis: etiam hanc rationem, quae omnes supra allatas continet, tradit orator p. 21 in fine: *ἐπειδὴ γὰρ οὐ γένος ἐστί φιλίων καὶ πολεμίων, ἀλλὰ τὰ πραττόμενα ἐξεργάζεται τοῦθ' ἑκάτερον, τοὺς ἐχθρὰ ποιοῦντας ἐν ἐχθροῦ μέρει κολάζειν ἀπέδωκεν ὁ νόμος.* Ex hisce jam satis apparebit hujus legis consilium; restat igitur ultima quaestio.

III. Num semper *ὁ ὑβριζόμενος* jure, quod hac lege ei concessum fuit, fuerit usus. Huic quaestioni nonnullorum locorum auctoritate negando respondere me posse puto. Habemus enim exemplum in orat. Lysiae saepius citata, ex quo conficere possumus, *τὸν ὑβριζόμενον* nonnumquam a jure suo destitisse et per *γραφὴν μοιχείας* jus suum persecutum fuisse. Pag. 94 enim v. 16 dicit: *ἐγὼ δ'εἶπον, ὅτι οὐκ ἐγώ σε ἀποκτενῶ, ἀλλ' ὁ τῆς πόλεως νόμος:* ex iis, quae hunc locum antecedunt, apparet, *τὸν ὑβριζόμενον* pecunia non remisisse adulterum, quod hic valde flagitabat; dicit enim de adultero: *κἀκεῖνος ἀδικεῖν μὲν ὡμολόγει, ἠντιβόλει δὲ καὶ ἱκέτευε μὴ αὐτὸν κτεῖναι ἀλλ' ἀργύριον πράξασθαι.* Si vellet igitur *ὁ ὑβριζόμενος*, poterat illum dimittere, quod idem patet ex orat. Dem. in Neaer. tom. V p. 162 in fine: *συνεσυκοφάντει δὲ καὶ οὗτος (ὁ Στέφανος), εἴ τινα ξένον ἀγνῶτα πλοίσιον λάβοι ἐραστὴν αὐτῆς (Νεαίρας*, quam suam uxorem esse Stephanus ferebat), *ὡς μοιχὸν ἐπ' αὐτῇ, ἔνδον ἀποκλείων, καὶ ἀργύριον πραττόμενος πολύ:* et ex eadem orat. p. 171, *ἐπιβουλεύσας τὸν Ἐπαίνετον ὁ Στέφανος, μεταπεμψάμενος εἰς ἀγρὸν, ὡς θύων, λαμβάνει μοιχὸν ἐπὶ τῇ θυγατρὶ τῆς Νεαίρας ταυτησὶ καὶ εἰς φόβον καταστήσας, πράττεται μνᾶς τριάκοντα.* Ex hac licentia simul argumentum peti potest, legem hancce propter *τὸν κύριον ὑβριζόμενον* esse sancitam. — Ex iis autem, quae posteriorem locum sequuntur, apparet, adulterum hoc casu dare debuisse vades pecuniae pendendae: ac si injuria se detentum putaret, eum potuisse instituere actionem *ἀδικῶς εἰρχθῆναι ὡς μοιχὸν*, in qua dijudicanda si videretur judicibus *μοιχὸς* esse, licebat *τῷ ὑβριζομένῳ χρῆσθαι αὐτῷ ὅ, τι ἂν βουληθῇ ἄνευ ἐγχειριδίου ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου;* si contra eum absolverent judices, *ἀθῶος* erat et a vadimonio liber, quae lex in adulterum falso accusatum paullo durior mihi videtur, quod etiam orator innuere mihi videtur dicens p. 171 v. 23: *κατὰ δὴ τοῦτον τὸν νόμον γράφεται αὐτὸν ὁ Ἐπαίνετος.* Neque in hoc assentiri possum Lysiae p. 96 v. 23 dicenti: *οἱ δ' ἀγῶνες δεινότεροι τοῖς ἀδικουμένοις καθεστήκασιν ἢ τοῖς παρὰ τοὺς νόμους τὰς ἀλλοτρίας καταισχύνουσι γυναῖκας.* Quis enim adulter falso accusatus non potius pecuniam a se exactam penderet, quam ut se tam severae legi exponeret? — Appellabatur autem illa pecunia *μοιχάγρια* et in universum *λύτρα.*

Hac autem poena affici potuisse videntur ditiores: pauperiores autem, qui tantam pecuniae summam, quantam hac occasione exegisse puto *τοὺς ὑβριζομένους*, solvere non poterant, alia magis infamia supplicia patiebantur, *παρατιλμὸν* nimirum et *ῥαφανίδωσιν.* At ista a Scholiasta Aristophanis ita explicata sunt, ut eum exscribere cogerer: vid. ipse iste Schol. ad Plut. v. 168 et Voss. in Catull. p. 4.

Paucis denique videamus, quid cum uxore stuprata ageretur, quid de caeteris in hac lege personis memoratis. Sicut adulteri *βιαζόμενοι* et *πείθοντες* non easdem poenas luebant, ita credo etiam et pro certo habeo, neque *τὰς βιαζομένας* et *διαφθειρομένας γυναῖκας* eidem infamiae ac supplicio obnoxias fuisse: locus etiam hic multis conjecturis ansam praebere possit et antequam de omnibus constaret, multa disputari possent. Ego tantum id prodere volo, quid de muliere voluntate sua stuprata ageretur, quum de ea satis certo constare videatur. Nimirum in orat. Dem. in Neaer. p. 179 lex de talium uxorum *ἀτιμία* citatur, quae his' verbis continetur: *Ἐπειδὰν δ' ἕλοι τὸν μοιχόν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικὶ. ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω· μηδὲ τῇ γυναικὶ ἐξέστω εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ' ἢ ἂν μοιχὸς ἁλῷ· ἐὰν δ' εἴσεισι νηποινεὶ πασχέτω ὅ,τι ἂν πάσχῃ πλὴν θανάτου.* Dimittenda igitur erat marito, neque publica sacrificia frequentare et templa intrare isti licebat. Ex Aeschinis loco in Tim. patet, etiam corporis ornatu ei abstinendum fuisse, ac si secus faceret, eam uniuscujusque vexationi fuisse expositam, dummodo eam non occiderent aut membro aliquo captam redderent.

Quod autem Platnerus p. 210 tom. II dicit, uxorem *μοιχείας γραφῇ* accusari potuisse, si *ἄρθρα ἐν ἄρθροις* adulter non deprehensus et insuper mortuus aut exsul esset, idem mihi videtur, praecipue quum ea, dum *ἄτιμος* ipso jure esset, tamen, neminem adulterii conscium esse rata, publica sacrificia frequentaret neque iis abstineret.

Totius legis versio, quam propter tot virorum doctorum dissensiones ad finem reservavi, haec mihi optima videtur:

« Si quis imprudens in certaminibus aliquem necassit, aut in insidiis inscius, (aut) in bello, « dum eum non agnosceret, aut in uxore deprehensum, aut in matre, aut in sorore, aut in « concubina, quam liberis suscipiendis habet, propter talem caedem reus ne fiat."

Causam denique, cur eam attulerit orator, ex ipsius verbis optime docebimur. Sic autem ratiocinatur: « Aristocrates decretum tulit: quicumque Charidemum interfecerit, abducatur ad sup- « plicium. Si igitur evenit, evenire autem posse propter ignorantiam *τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι* nemo « negare potest, ut Charidemus Athenis qua civis moratus, talia in alium civem tentet, nemo « propter hoc decretum hujus legis beneficio uti audebit, sed *σιγῶντα δεήσει αὐτὸν ἐᾶν αὐτὸν* « *ὑβρίζειν*, atque igitur manifesto *παράνομον* est decretum."

Altera lex de argumento, quod initio explicationis nostrae superioris legis exposuimus, haec est: *Καὶ ἐὰν φέροντα ἢ ἄγοντα βίᾳ ἀδίκως εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ, νηποινεὶ τεθνᾶναι.*

De hac lege non multa a viris doctis disputata sunt, neque etiam difficilis ejus est sensus nec verba ambigua.

Wolfius tamen, cujus sententiam recte jam refutavit Taylorus, verba, quae sequuntur, *ἄλλα ταῦτα, ἐφ' οἷς ἐξεστι κτεῖναι*, legi adjungit: quod primum abhorrere mihi videtur a legislatoris

mente, qui tantum legum seriem praebet easque in capita vel tabulas distinguit, non autem singulis legibus addit causam, cur eam sanxerit; atque insuper si legislatori tribuenda essent illa verba, valde desiderarem vocem ἔστω post ταῦτα, quam aegre tali sensu omitti posse arbitror.

Caeterum disputare de vocibus νηποινεὶ, τεθνᾶναι, utrum hoc modo an νηποινὶ, τεθνάναι scribendae sint, a nostro proposito, qui praecipue circa legis sensum versamur, alienum esse judico.

Versio legis latina haec est:

« Si quis alium injuste vim inferentem in continenti necassit, impune caesus esto."

Transeo ad hujus legis explicationem, in eaque hanc viam mihi proposui, ut primum exponerem, quid lege concessum sit, deinde in quem, quando et cuinam ea uti licuerit, tum denique quibus juris fundamentis haecce lex niti videatur.

I. Primae quaestioni respondere facillimum judico, neque eam proponerem, nisi simul investigare vellem, num semper ea legis concessione usi fuerint οἱ ὑβριζόμενοι, an alia quadam ratione jus suum persecuti fuerint.

Concedit igitur lex, si quis ab aliquo injuriosi quid patitur (quod seq. quaestione accuratius definiendum est), interficere τὸν ὑβρίζοντα, neque talem sui ipsius defensorem φόνου γραφῇ esse obnoxium statuit, quum si nihilominus ab aliquo hujus caedis accusaretur, hac usus excusatione: ἀμυνόμενος feci, absolveretur. Quum tamen, si hoc jure uteretur, ὁ ὑβριζόμενος multis falsis accusationibus ansam dare posset, verosimile mihi videtur, eum non interfecisse vim inferentem, nisi summa necessitate coactus esset, quum tot aliis modis jus suum persequi posset, aut alius etiam, qui forte adfuerat illataeque injuriae conscius erat, id pro eo suscipere posset. (Ea enim erat actionum publicarum natura, ut de iis criminibus instituta essent, quibus non tantum is, in quem commissa erant, sed etiam tota civitas atque omnes igitur cives detrimenti aliquid ceperant: quare unicuique, qui accusandi attributa habebat, fas erat eas instituere). Insuper, ut ex variis orat. in Mid. locis patet, tali sui defendendi modo abstinere laudi tribuebatur τῷ ἀνασχομένῳ καὶ μηδὲν ἀνήκεστον ἐξαχθέντι πρᾶξαι, quique injuriam judicibus tradiderat dijudicandam, quibus tum etiam magna cura adhibenda erat, ut talis ὑβριζόμενος jus suum consequeretur, ut exemplum inde statuerent, ὅτι τοὺς ὑβρίζοντας ἅπαντας καὶ τοὺς ἀσελγεῖς, οὐκ αὐτὸν ἀμύνεσθαι μετὰ τῆς ὀργῆς, ἀλλ' ἐφ' ὑμᾶς ἄγειν δεῖ, ὡς βεβαιούντων ὑμῶν καὶ φυλαττόντων τὰς ἐν τοῖς νόμοις κατὰ τῶν ἀδικούντων τοῖς παθοῦσι βοηθείας. Cicero quoque in officiis dixit: « Cum sunt duo « genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit ho- « minis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore," et alibi: « Non enim est illa defensio contra vim umquam optanda; sed nonnumquam necessaria." — Erant autem hoc casu isti juris sui assequendi modi, tum actiones publicae γραφὴ ὕβρεως et τραύματος ἐκ προνοίας, quae, si ὁ ὑβριζόμενος eas ipse institueret, plane eodem modo agebantur, ac si alter id pro eo faceret: tum actiones privatae, quas ὁ ὑβριζόμενος ipse tantum instituere poterat, αἰκίας et βιαίων δίκαι. Haec obiter monere tantum volui, neque ad meum propositum pertinere puto, singulas illas actionum formas accuratius explicare. Ultima igitur necessitate coactus ὁ ὑβριζόμενος jure lege concesso usus fuisse videtur, quum si ejus caedis jus dicere cogeretur, tot ei in judicio probanda essent, ob quae eam jure se perpetravisse ostendere posset: non

enim, ut per se confici potest, ita facile legislator id concessit, sed contra varia et in τοῦ ὑβρίζοντος et in τοῦ ὑβριζομένου persona statuit, quae si adessent, tum solum caedes jure facta esse existimabatur. Eas autem additiones accuratius investigare jam statim in seq. quaestione conabimur.

II. Primum igitur perscrutemur, quaenam de τοῦ ὑβρίζοντος persona statuerit legislator, ob quae impune necari posset.

Si nimirum quis φέρει et ἄγει. His verbis (quae, ut notum est, ita conjuncta significant: *populari*, *diripere*, atque igitur vexationis vehementis et hostilis fere sensum habent), in lege non additum est, utrum *quid* an *quem* vexarit, neque liquet, utrum *corporalis* an *realis* injuria per ea indicetur: hoc dubium ex oratoris verbis p. seq. explicari potest. Ex iis nimirum apparet, utrumque sensum his verbis inesse: dicit enim orator p. laud. v. 11: τίνα γὰρ οἴσει ἢ ἄξει βίᾳ ἀδίκως Χαρίδημος; πάντας ἀνθρώπους et v. 19: τὸν ἄγοντα ἢ φέροντα βίᾳ τἀμά etc., nisi prior locus etiam ita supplendus sit ex iis quae sequuntur χρήματ' αἰτοῦντες; ut accusativus personae simul ab αἰτοῦντες pendeat; aegre enim dici posse puto ἄγειν καὶ φέρειν τινά. Itaque hanc legem de injuria reali proprie sancitam esse puto: attamen quum illa verba φέρειν καὶ ἄγειν, ut dixi, direptionis significationem habeant, ipsa illa realis injuria cum corporali conjuncta esse potuit, si v. c. direptori resisteret is, cujus bona diripiebantur, nec tamen iste instituta injuria abstineret, sed insuper etiam resistentem aggredi auderet. Varii autem casus esse possunt, quibus quis alterius bona diripiat: fieri potest, ut imperator cum exercitu pecuniis exigendis cives vexet; potest, ut idem, quamquam alio modo, tentet fur nocturnus etc. Eos igitur interfici posse statuit legislator; addidit tamen, si id βίᾳ et ἀδίκως perpetret. Harum vocum significationem paulo dubiam esse existimo: aut enim explicari possunt, ut tantummodo additae sint, ut per eas verborum φέρειν καὶ ἄγειν significatio injuriae vehementis augeretur, aut ita, ut propte eas statuendum sit, legislatorem posuisse, aliquem alterius bona etiam δικαίως neque βίᾳ posse diripere. Si priorem interpretationem probamus, inde rursus conficere possumus, quam caute et anxie ὁ νομοθέτης, quantamque vim ab aliquo inferri debere statuerit, si impune necari posset. Haecce interpretatio nobis probatur et quidem hanc ob caussam, quod non video, quomodo quis alium δικαίως vexare possit: quamvis enim hostes in justo bello, δικαίως quodammodo hostilem regionem vastare dici possint, de iis lege statuere eos, quod jure depopulantur agros, occidi non posse, absurdum foret, quoniam jam propter eam ipsam caussam, quod hostes sunt, jure necari a quovis possunt. Unum tamen modum videre mihi videor, quo posterior illa explicatio probari possit. Si nimirum voci ἀδίκως eandem significationem inesse ponimus ac formulae alias usitatissimae χειρῶν ἀδίκων ἄρχοντα: tum enim δικαίως is alterum vexasse judicari posset, qui ἀμυνόμενος id fecisset. Haecce interpretatio ideo etiam non rejicienda videtur, et quod in seq. ἀμυνόμενος melius tunc staret, et quod in talibus judiciis, ut in αἰκίας etc., praecipuum, quod judices investigabant, erat, quisnam χειρῶν ἀδίκων ἤρξε, et denique quod Plato lib. IX p. 270 D. hac formula in simili re usus est: ἀδελφὸς δ' ἂν ἀδελφὸν κτείνῃ ἐν στάσεσι μάχης γενομένης, ἢ τινι τοιούτῳ τρόπῳ, ἀμυνόμενος ἄρχοντα χειρῶν (ἀδίκων) πρότερον, καθάπερ πολέμου ἀποκτείνας, ἔστω καθαρὸς καὶ ἐὰν πολίτης πολίτην ὡσαύτως. Vocem βίᾳ autem nullo alio modo explicare possum, quam quo supra tradidi.

Revera autem propter vehementem injuriam jus interficiendi concessum esse ei, qui perpeteretur, confici potest ex eo, quod narrat Demosthenes in orat. contra Midiam, p. 216 et ss. de Euaeone, qui propter plagam, sibi a Boeoto coram septem amicis hominibus illatam, ipsum interfecerat et ideo uno suffragio caedis condemnatus erat, non, ut Dem. p. 218 conjicit: *ὅτι ἠμύνατο, ἀλλ' ὅτι τοῦτον τὸν τρόπον, ὥστε καὶ ἀποκτεῖναι.*

Sequitur, ut investigemus, quid de *τοῦ ὑβριζομένου* persona, seu potius quid de caedis, qualis hac lege conceditur, patratore sanciverit *ὁ νομοθέτης*,

Voluit nimirum, ut *εὐθὺς* et ut *ἀμυνόμενος κτείνῃ*. Priore voce indicat, *τῷ ὑβριζομένῳ* non licitum esse consilium capere de se ulciscendo aut deliberare, quomodo se ulciscatur. Id hoc modo optime explicare posse mihi videor. Legislator statuit, aliquem se ipsum defendere posse, at ne jus illud latius pateret, addidit: primum ut justissima esset sui defendendi caussa, i. e. necessitas, et mihi videtur maluisse, ut si occasio esset, effugeret, quam ut statim jure hac lege concesso uteretur: ex hoc legislatoris de justa sui defendendi caussa praecepto jam sequitur, ut si vim inferentem occidisset aliquis, patere debere voluerit, statim eum caedem, nec propter iram aut inimicitias perpetrasse, ac potius fortuito vim inferentem necasse, quoniam summa necessitate coactus et vitae suae metu de defensionis modo et instrumento deliberandi tempus non habuisset, aut propter injuriae illatae vehementiam *ἐξέστη αὐτοῦ*. Ex hisce iterum videmus, non jussisse legislatorem, eum qui vehementer alium vexaret, interficiendum esse, sed si propter talem causam caedes erat patrata, eam ab illo esse excusatam. Tali etiam sensu explicandus est locus Lysiae (1) in *Ἀπολογίᾳ φόνου, ὃν ὡς ἀμυνόμενος* etc. p. 126 v. 8: *τὸν γὰρ ἄρξαντα τῆς πληγῆς, εἰ μὲν ἢ λίθῳ ἢ ξύλῳ ἠμυνάμην (αὐτὸν), ἠδίκουν μὲν οὐδ' οὕτως, οὐ γὰρ ταὐτά, ἀλλὰ μείζονα καὶ πλείονα δίκαιοι οἱ ἄρχοντες ἀντιπάσχειν εἰσί*, i. e. Si ego *μείζοσι* affeci vim inferentem, excusabilis sum. Si autem quaeritur, cur eam vocem addere necesse fuerit legislatori? Hoc responsum dare posse nobis videmur: quod noluit jus sui defendendi latius patere, quam supra vidimus eum ut licitum esset voluisse. Si quis igitur vim inferens fuga se irae *τοῦ ὑβριζομένου* surripuit, huic non amplius fas est persequi illum: tum enim leges judiciaque totaque civitas perturbarentur. Si autem ipse *ὁ ὑβριζόμενος* vim alterius fuga evitavit, jure sui defendendi cessisse existimabatur idque ei laudi tribuebatur, nec tamen ipsi in posterum fas erat alio modo, v. c. insidiis petere adversarium: tum enim aeque contra leges egisse videbatur atque is, qui *χειρῶν ἀδίκων ἦρξε*, qui nimirum juribus, v. c. judiciis et actionibus, quae legibus ipsi concessa erant, uti noluerat, contraque ea, quae leges prohiberent, usurpaverat: leges enim tantum *sui defensionem* concedunt, ut etiam ex altera voce *ἀμυνόμενος* facile confici potest. Quamvis enim, ut orator dicit p. 23, ea vox indicet, *τῷ πάσχοντι* tantum dari *ταύτην τὴν ἐξουσίαν, οὐκ ἄλλῳ τινί*, simul tamen ex ea apparet, in utroque casu, quem modo posui, non licuisse *τῷ ὑβριζομένῳ* neque persequi, neque petere vim inferentem, utrumque enim non *ἀμυνόμενος*, sed iratus aut propter inimicitias facit, quum non amplius in periculo vitae versaretur. et igitur neque *εὐθὺς* neque *ἀμυνόμενος*, si forte in aggrediendo adversarium occidit, eum interficiat.

(1) Cf. de hoc loco et toto sui defensionis jure Pufend. de jure N. et G. lib. II. c. V.

Satis pro meis viribus explicuisse mihi videor legislatoris sententiam: restat ut paucis absolvamus, quibusnam juris fundamentis haecce lex niti videatur.

III. Ut de multis antiquorum populorum legibus, ita etiam de hac lege existimo, eam ex jure naturae esse haustam. Primum igitur videamus, quid de sui defendendi facultate statuerit natura, quo facto sponte apparebit, quousque eam secutus sit legislator Atticus.

Maximum, quod a natura accepimus, beneficium vita jure censetur: eam igitur omni honesta ratione servare conari, prima naturae lex est. Requirit autem primum, ut corpus alamus, alimentorum igitur quaerendorum necessitas nobis a natura imposita est: modus autem quaerendi pro humanae societatis ratione differt: alio modo licitum erat ante bonorum divisionem in eorum communione; tum enim quisque, quae sibi utilia putabat, arripere et occupare poterat: alia post bonorum divisionem constitutamque civitatem; tum enim iis, quae possidebat, contentum esse seque alere oportebat, et nisi ea sufficerent, alio modo, non autem occupatione eorum quae obviam illi fierent, aut vi, aut dolo malo, aut furto, quibus indigebat, acquirere debebat: v. c. emendo, permutando, serviendo, etc., quamquam tum etiam quaedam unicuique occupanda relicta sunt, v. c. res nullius etc. Quoniam autem nonnulli inveniebantur, qui id negligerent et etiam minus honestis rationibus primae illi naturae necessitati satisfacerent, consuetudinis jus et leges scriptae paulatim exortae sunt, imprimis, ut per se patet, quantum fieri poterat, naturae legibus nixae. Quamvis simul orirentur aliae leges, quae quidem naturae non adversarentur, tamen ejus minus propriae essent, quam societatis humanae statui et formae convenientes: ita statutae sunt leges de furto, de dolo malo etc.

Alterum, ad quod a natura incitamur est, ut vitam, alimentis sustentatam, salvam etiam a vi omnique ejus evertendae ratione servemus et defendamus. Si igitur a bestia ei periculum imminet, natura praecipit, cum minoris pretii sit bestia ista, quam vita hominis, ut occidatur etiam cum damno alterius, qui illam possidet: cum autem illam ab homine sibi ereptum iri videt, eadem natura, quod potior sibi sua vita quam alius esse debet, concedit illum occidere. Attamen quum ex sui ipsius sensu unusquisque optime compertum habeat, quanti vita ducenda sit, ex eo simul docetur, quanti idem beneficium, quod alius ab eadem natura accepit, aestimandum sit, neque igitur id, nisi summas propter injurias et ingentia pericula ei adimendum esse. Injuriae magnitudo censetur ex societatis, hominum aut populi, ad quem quisque pertinet, variis opinionibus, et interno illo et unicuique insito boni pravique sensu: veluti conjugium semper fere sanctum habitum est, et revera ita esse a sensu interno affirmatur. Si quis igitur in uxorem grassatur aut cum ea adulterium committit, magna injuria maritus affici censendus est, praecipue si id eo inspectante committitur; quare non a natura alienum videtur, si huic concedatur eam adulteri sanguine ulcisci. Imminens autem alicujus vitae periculum censendum est, si alter in eam invadit eaque ipsum privare tentat, sive quod bona illi eripere vult, sive alia quacumque de causa. Natura autem, si umquam, hoc certe casu concedit, imo quod amorem vitae omnibus ingenuit, praecipit, ut eam defendat, etiam cum maximo alterius detrimento, nimirum vitae: si tantummodo *moderamen tutelae inculpatae*, ut vocatur, adhibet, quod consistit in causa, modo et tempore: quae omnia jam insunt vocibus, quibus supra usus sum, *imminens vitae periculum:*

caussa enim satis justa alterius interficiendi iis inest, quod periculum meae vitae imminens avertere licet: modus his vocibus item continetur: nimirum vita mea ab alio petebatur, licet igitur eodem modo adversarii vitam petere et par pari referre: quoniam autem periculum non amplius imminet, si aufugit adversarius aut alio quocumque modo a vi inferenda destitit: vocibus IMMINENS *periculum licet morte inferentis avertere*, etiam inest tempus, quando id liceat, scilicet *statim.*

Quae autem breviter de ea naturae concessione diximus, variis auctorum locis confirmantur, quorum unum alterumve adscribere lubet. Sic Cicero in orat. pro Mil. c. 4: « Atqui si tempus « est ullum jure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo justum, verum « etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur:" et paullo inferius: « Est enim haec, judices, « non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, leginus, verum ex natura ipsa « arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti « sumus: ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimico- « rum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Silent enim leges inter arma, « nec se exspectari jubent, cum ei, qui exspectare velit, ante injusta poena luenda sit, quam « justa repetenda." et cap. 11: « Sin hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris et mos genti- « bus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a « corpore, a capite, a vita sua propulsarent: non etc." Quintil. VII. c. 11: « Primum in « omni genere debet esse defensio, quia natura potior est salus nostra, quam adversarii perni- « cies." et passim in Pand.: sed cf. Grotius de jure Belli ac Pacis, qui plurima loca congregavit et ipse de eo jure disputavit, p. 29, 30, 164, 638 edit. Gronovii.

Quum ea quae diximus, conferimus cum iis, quae de lege Attica disputavimus, satis, ut puto, apparebit, totam eam ex jure naturae esse haustam, certe prorsus cum hoc convenire: quare jure hanc legem a Demosthene allatam esse putamus, ut Aristocratei decreti τὸ παράνομον probaret; quum enim in hoc, quocumque modo sive quacumque de causa interfectus esset Charidemus, ἀγώγιμον esse interfectorem scripsisset, eo οὐ μόνον παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον, ἀλλὰ καὶ παρὰ τὸν κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώπων νόμον statuere voluerat. Quod utrumque valde in novae legis vel legis formae latore improbandum esse per se patet et variis locis docet doctissimus Montesquievius in opere Esprit des lois, v. c. lib. XII c. 1 et 11 et lib. XXVI c. 3, c. 7 etc. Si igitur tale quid de Charidemo statuere voluisset Populus Atheniensis, primum omnes istae leges capitales abrogandae fuissent, et insuper exstinguenda naturae illa vox interna, quasdam caedes justas esse declarans. Quamdiu enim aliqua concedebat lex, jure aliquem interfici posse, παράνομον erat tale statutum: quod Cicero in Milone c. 3, fere eodem modo ac Demosthenes ratiocinatus, ita prodit: « Quod si « duodecim tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, in- « terfici impune voluerunt: quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, (id) puniendum « putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus."

At harum legum abrogationem vetabat alia lex, ad quam interpretandam jam statim transeo.

Ὃς ἂν ἄρχων, ἢ ἰδιώτης, αἴτιος ᾖ [τοῦ] τὸν θεσμὸν συγχυθῆναι τόνδε, ἢ μεταποιήσῃ αὐτόν, ἄτιμον εἶναι, καὶ παῖδας ἀτίμους, καὶ τὰ ἐκείνου.

Ita saltem eam praebuit Reiskius: variae enim exstant etiam de hac lege in Codd. lectiones et virorum doctorum de quibusdam sententiae. Tria memoratu digna inveni, nimirum de vocibus *τοῦ*, *μεταποιήσῃ*, *ἀτίμους*. Primam vocem recepit Taylorus, uncis inclusit Reiskius, omiserunt Bekkerus et Schaeferus: horum mihi probatur sententia, quod infinitivus sine articulo post *αἴτιος* plerumque invenitur: Cf. Matth. Gramm. § 542 C. *β*. et loca interpretum ibi allata, quibus addatur Krügerus ad Xenoph. Anab. lib. VI c. 4, § 8.

Quod ad alteram vocem, in nonnullis Codd. ut etiam in Aldina et Wolfiana editione, pro illa invenitur *μεταποιήσοι*, quod in nostram lectionem mutavere Tayl., Reisk., Bekk. et Schaef. Arcte junctam esse puto hanc modi differentiam cum initio legis *ὃς ἂν ἄρχων*. Ex Matth. enim Gramm. § 527 docemur, optativum post relativa sine particula *ἄν* poni, conjunctivum cum ea particula. Quum autem in uno alterove codice legatur *ὃς ἄρχων* omisso *ἄν*, etiam *μεταποιήσοι* probari posset. Attamen quum nulla de voce *ἤ* post *αἴτιος* codicum exsistere videatur diversitas, et Matth. l. l. dicat conjunctivum plerumque (nam in ss. docet auctores non tam accurate et constanter hunc usum tenuisse) poni solere, si indicatur futurum aut praesens tempus, legislator autem, quum hanc legem sanciret, aliquid in futurum statueret, praeferrem ego *ὃς ἄρχων — ἢ — ἢ μεταποιήσῃ*.

Tertiam denique vocem *ἀτίμους*, quam Tayl. non repugnante Schaef. quorumdam Codd. auctoritate expunxit, ego etiam omittere vellem, Cf. Matth. § 441, 2, c. Addita librario magis propria videtur quam linguae Graecae exquisito usui. Etiam in ss. p. 24 v. 4 ab oratore omittitur.

Haec de legis verbis sufficerent, nisi hoc quoque accuratius investigandum mihi ipse proposuissem. Nimirum quum inter *αἴτιον τοῦ συγχυθῆναι* et ipsum legum perturbatorem, id est, qui nullo incitante sed sponte leges perturbarit, distinxisse legislatorem appareat, haec autem oppositio legis verbis mihi non videatur inesse, post *μεταποιήσῃ* legere vellem *αὐτός*, hoc sensu: *aut ipse mutarit*. Cf. de hoc vocis *αὐτός* usu Matth. § 468, 4. Huic lectioni hoc quidem loco auctoritatem nullus praebet codex, at in seqq. p. 24 v. 3 in fine eodem sensu unus codex habet *αὐτός*. *Αὐτὸν* tamen non expungere volo, sed ad seqq. referre, hoc sensu: ipse non tantum *ἄτιμος ἔστω*, sed etiam liberi ejus etc.; ita enim antithesis, quae his iterum verbis inest, melius patere videtur.

Versio igitur Latina haec est:

« Quicumque magistratus, aut privatus harum legum confundendarum auctor fuerit aut ipse mu-
« tarit, infamia notetur tum ipse, tum liberi et bona publicantor."

Ad interpretationem transeo, quae haec duo continebit capita: I accuratius perpendemus, quid hac lege statutum sit, II investigare conabimur, quare hoc statuerit legislator.

I. Ut ex variis Leptineae, Timocrateae aliarumque orationum locis patet, magna usus est populus Atheniensis diligentia in legibus condendis. Praecipuum legislatorum Atheniensium propositum fuisse videtur, ut perpetuam suis legibus auctoritatem conciliarent; Draconis certe illud consilium manifestum est ex prooemio illius legum a Porphyr. *περὶ ἀποχῆς* IV, p. 129 servato:

Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀθήδα νεμομένοις, κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον: de Solone autem conficio ex eo, quod, ut Plut. dicit in vita ejus, leges suas in centum annos populi jurejurando sancivit: civitas enim, quae per centum annos legibus iisdem usa esset, eas etiam in posterum retentura esse videbatur: si enim minus aptae judicarentur, jam ante illud spatium exactum abrogatae fuissent, quod partim in civitate Attica evenit. Ne de Pisistrati ejusque filiorum et Clisthenis aliorumque turbis et perturbationibus, nec de arbitrario triginta tyrannorum imperio dicam, satis id apparuit ex tempore, quod Euclidem secutum est. Eo enim archonte post 30 tyrannos expulsos, decretum factum erat *τοῖς δὲ νόμοις χρῆσθαι ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος*, et alia etiam lex lata *τοὺς νόμους πρὸ Εὐκλείδου τεθέντας ἐν δημοκρατίᾳ* etc, quibus antiqua Solonis legibus recuperata erat auctoritas. Hoc igitur tempore tot in legibus mutata, tot novae leges contrariae inter se latae sunt, ut inde variae iterum leges exsisterent, quibus caveretur, ne una lex alteri obloqueretur, ne duae leges de eodem argumento ferrentur etc., quae omnia indicia fuisse opinor, Atheniensem civitatem constanti et perpetuo legum codice uti non potuisse, quod commune habuisse mihi videtur cum aliis civitatibus eadem ista reipublicae forma utentibus, quae, ut recte Montesquiev. jam dixit, virtute civium nititur, atque igitur pro eorum moribus aut constare aut depravari debet. Maxima quidem legum diversitatis causa in nonnullorum potentiae cupiditate quaerenda mihi esse videtur ex verbis Demosth.: *ἐπειδὴ δὲ τῶν πολιτευομένων τινὲς δυνηθέντες, ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι, παρεσκεύασαν αὑτοῖς ἐξεῖναι νομοθετεῖν ὅταν τις βούληται, καὶ ὃν ἂν τύχῃ τρόπον· τοσοῦτοι μὲν οἱ ἐναντίοι* etc. Quamvis igitur legislatores aeternam legum auctoritatem in animo habuisse videantur, simul tamen iisdem legibus, qua re paene sibi obloqui videntur, addidere nonnullas, quae statuebant, quomodo lex abroganda aliaque ferenda esset: ex qua constitutione exstitit actio *παρανόμων*, quae sive circa formam legis rogationis versabatur, aut circa id quod nova lege statuebatur.

Haec quam brevissime de legibus in universum a me ideo disputata sunt, ut differentiam, quae mihi capitales inter et caeteras leges intercedere videtur, melius explicare possem. Quod enim de caeteris legibus vidimus, eas saepe abrogatas fuisse aliasque in eorum locum fuisse substitutas, hoc in capitalibus non contigit, in quieta saltem civitate. Constat enim Solonem, quum ipsi propter nimiam Draconis legum severitatem aliarum statuendarum a populo mandata esset provincia, retinuisse illius *φονικοὺς θεσμούς*, sive id fecerit religione aliqua, quod hanc legem, quam interpretamur quamque Draconi tribuo, negligere nollet, sive quod capitales ejus leges optime sese habere putaret: quum simul ex hac lege et aliis a Dem. supra adscriptis appareat, eas Demosthenis tempore adhuc in usu fuisse: et ex aliis locis, si haec non sufficiunt, etiam facile confici possit, eas semper viguisse: v. c. ex loco Dem. huj. orat. p. 26 init: *τοῦτο μόνον τὸ δικαστήριον οὐχὶ τύραννος, οὐκ ὀλιγαρχία, οὐ δημοκρατία τὰς φονικὰς δίκας ἀφελέσθαι τετόλμηκεν, ἀλλὰ πάντες ἀσθενέστερον ἂν τὸ δίκαιον εὑρεῖν ἡγοῦνται περὶ τούτων αὐτοὶ, τοῦ παρὰ τούτοις εὑρημένου δικαίου*: quamquam hic minus vere locutum esse oratorem supra vidimus. Cf. etiam Platn. tom. 1 op. laud. praefationis p. XXI: neque de turbulentis temporibus, sed de quietis opinor hoc oratoris effatum verum esse, quam opinionem confirmat Antiph. locus in orat. *περὶ τοῦ Ἡρώδου φόνου* p. 31 v. 11: *οἵ γε νόμοι κάλλιστα κεῖνται οἱ περὶ φόνου, οὓς οὐδεὶς πώποτ'*

ἐτόλμησε κινῆσαι. Jam igitur ex iis, quae hucusque disputavimus, confici potest, spectare hanc legem eam Draconis legum partem, quae de caede statutae erant. Non ergo licebat eas, ut leges civiles, mutare, id est, iis alia quaedam addere, multo minus perturbare et perfringere. Si quis autem fecisset, παρανόμων γραφῇ obnoxius erat et, si condemnaretur, poenae τίμησις non paenes judices, sed simul hac lege statuta erat, nimirum ἄτιμος erat αὐτὸς καὶ παῖδες καὶ τὰ ἐκείνου. Petitus pag. 622 ea vertit: « *ille ejusque liberi impune occiduntor, bona publicantor*" quod mihi nimium videtur et vir doctissimus, opinor, quaedam confundit. Ἀτιμίας enim varii erant gradus: I ἀτιμία cum publicatione bonorum, II sine publicatione bonorum, III ἀτιμία κατὰ προστάξεις. Ne de iis singulis agam, quod jam alii egregie fecerunt, v. c. Meier. de bon. dam. p. 101 ss., Meier. et Schöm. p. 565, alii; hoc tantum dico, hac lege, ut patet, statutum esse primum ἀτιμίας genus, cujus haec erat condemnatis sequela, ut omnibus civium juribus, imo foro, templis, publicis populi conventibus etc. abstinendum iis esset, quod nisi facerent, obnoxii erant ἐνδείξει et ἀπαγωγῇ et si ex alterutra earum actionum condemnarentur, poena capitalis in eos statuta erat, hanc, ut mihi videtur, ob caussam, quod templa et totum violaverant populum et quod major poena, quam qua antea mulctati erant, non exstabat. Hoc igitur confundit Petitus l. l., et quamvis lubenter credam, saepius in hoc ἀτιμίας gradu evenisse, ut ἄτιμος se locis, quibus lege ei interdictum erat, non abstineret, quod vita sine iis in civitate paene non vitalis erat, statuere tamen eos numquam abstinuisse (quod idem est atque eos impune occidi potuisse) non satis certo possumus, quod documentis indigemus. De usu autem formulae τὰ ἐκείνου ἄτιμα jam annotavit Tayl. Optime mirum hujus vocis usum Athenis moris fuisse confici potest ex leg. 4, ubi bona homicidae involuntarii, quod non erant publicata, vocantur ἐπίτιμα. (1)

Pertinebat igitur actio παρανόμων in capitalium legum transgressorem ad ἀγῶνας ἀτιμητοὺς (2), in eaque re etiam a γραφῇ παρανόμων in civilium legum transgressorem instituta differt; nimirum ea τιμητὸς erat ἀγών, de qua re cf. Meier. et Schöm. p. 193, quamquam illi eam distinctionem non addiderunt. Simul etiam ipsius actionis causa differre poterat. Puto enim, etiamsi quis leges de novae legis rogatione statutas observasset in lege de caede ferenda, tamen ea actione potuisse in jus vocari, quum contra in solita παρανόμων actione ea, quae supra jam memoravi, actori probanda essent. Magnam igitur et aeternam legibus suis de caede (3) auctoritatem conciliare voluit Draco, quod quare fecerit, in secundo capite jam breviter investigare conabimur.

II. Ipsi legum ferendarum mandata est provincia anno A. C. 622. Vigebat illius tempore optimatium auctoritas, quamquam ii paulatim jam inde a regibus abrogatis potentiae suae partem amiserant: primo institutis archontibus perpetuis ὑπευθύνοις, tum decennalibus et tandem IX an-

(1) Vocem καὶ τὰ ἐκείνου ἄτιμα vulgatam dedi explicationem, quum non meum ducerem singula ἀτιμίας genera accuratius investigare. Saepe tamen cogitavi, num ista bonorum ἀτιμία, ut ita dicam, non constare potuerit in privatione quorundam jurium, quibus illa bona utebantur; de publicatione enim illa verba intelligi mihi a linguae usu alienum videtur.

(2) Quamquam de ipsarum vocum τιμητὸς et ἀτιμητὸς significatione disputatur: cf. Meier et Schöm. p. 171 et 177.

(3) Vocem enim θεσμὸν in hac lege de omnibus legibus de caede explico, quamquam nusquam talem hujus vocis usum inveni, nisi loco supra jam laud. Porphyr.: Θεσμὸς αἰώνιος etc. Huic meae sententiae favent tum ipsa legis verba et sensus, tum Demosthenis explicatio et ejusdem comparatio decreti Aristocratei non tantum cum hac, sed etiam cum superioribus legibus.

nuis, non quidem, ut opinor, ab infima plebe electis, quae postea demum sese magis extulit, sed potius ex ipsis optimatibus, quorum gentes in dies auctoritate et numero crescebant. Ipse autem unus e IX archontibus fuit, quumque valde aristocratica reipublicae forma opprimeretur populus et leges flagitaret, secundum quas jus dicerent archontes, quod hucusque, ut videtur, aut secundum suum arbitrium aut secundum jus consuetudinis et τἄγραφα νόμιμα fecerant: Draco ei populi desiderio satisfecit, sed ita, ut etiam magis quodammodo optimatibus per eas faveret, quare etiam non diu post in desuetudinem venerint et deinde penitus abrogatae fuerint praeter νόμους φονικούς. In omnia fere crimina mortis poenam constituit, minusque ejus leges ad reipublicae formam temperandam, quam ad populi flagitia reprimenda spectabant. Ad id praecipue pertinent leges de caede statutae: has igitur inviolabiles esse quam maxime voluit, quod, ut opinor, credebat, eas non tantum civitati, ubi fortasse propter nimiam nobilium in plebem audaciam nonnumquam caedes patrabantur, utilissimas, sed etiam ex opinione Atheniensium cum religione esse conjunctas. Ex duplici consilio ejus leges fluxisse videntur, altero, ut optimatium auctoritatem et potentiam firmaret potius, quam minueret: altero, ut nobilium libidinem et licentiam in plebejos restringeret. Prius effecisse eum puto legibus civilibus, quas, ut supra dixi, populus brevi nimium severas judicavit, alterum legibus de caede, ne omnes recenseam, v. c. legibus huj. orat. 2, 6, 7, quae forte etiam causa fuit, cur Solon, qui magis popularem reipublicae formam constituit, eas retinuerit. Hanc autem legem ideo tulit, ut eas de caede leges firmaret: videbat enim maximam optimatium potestatis causam in eo esse sitam, quod secundum suum arbitrium antea, quos sibi noxios putabant, persecuti erant, a qua re vehementi quadam et severa lege eos absterrendos putabat et tam crudele supplicium in capitalium legum transgressorem constituit; sed simul mihi vidisse videtur, illam sanguinis vindictam (belgice *bloedwraak*) ita eorum animis esse insitam, ut eam penitus prohibere non auderet, quamvis certis finibus circumscripserit. Sui quoque defensionem nonnumquam necessariam esse neque jure naturae, unicuique insito, adversari putabat: de ea igitur certas quoque leges constituit, omnesque fere, ne caeteras recenseam, capitales ejus θεσμοὺς valde tempori, quo vivebat, aptos esse et religioni convenire credidisse mihi videtur, Draco, quae omnia satis validas causas esse existimo, cur tam acriter in eorum transgressores animadverterit.

Jure igitur etiam hanc legem afferre oratorem puto, quum jam ante ostenderit, multas de caede leges neglexisse Aristocratem et decreto suo perturbavisse, qua transgressione, etiamsi melius esset decretum omnibus istis Draconis legibus, hanc tamen nihili duxisse putandus erat.

Ultima haec lex opportunam oratori praebet occasionem demonstrandi, Aristocratem omnes de caede leges, quae de homicida in jus vocando, de testibus, de jurejurando et aliis ejusmodi judiciorum capitalium ritibus sancitae erant, neglexisse atque ideo etiam quinque ista gravia judicia, quae secundum eas leges, ut supra jam alicubi dixi, judicabant: nimirum τὸ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ, τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ et τὸ ἐν Φρεαττοῖ. De tribus prioribus

eorumque legibus in antecedentibus jam quaedam disputavimus, quare ea hoc loco omittere nos posse putamus; de duobus posterioribus quaedam breviter annotabimus.

Priori judicio τῷ ἐπὶ Πρυτανείῳ lege (1) addictum erat judicium:

Ἐὰν λίθος ἢ ξύλον, ἢ σίδηρος, ἤ τι τοιοῦτον ἐμπεσὸν πατάξῃ, καὶ τὸν μὲν βαλόντα ἀγνοῇ τις, αὐτὸ δὲ εἰδῇ καὶ ἔχῃ τὸ τὸν φόνον εἰργασμένον.

Id est, ut Wolfius vertit:

« Si lapis aut lignum aut ferrum aut tale quid delapsum percusserit atque aliquis, a quo id « conjectum sit, ignoret, ipsum vero norit et habeat telum, quo caedes facta sit."

Ex qua constitutione iterum videmus, quanti Athenienses hominis vitam duxerint, ut etiam res inanimas in judicium, iis tantum de rebus constitutum, adduxerint, si talis rei conjectorem ignorarent interfecti propinqui: sed simul tamen ex ea patet, quantopere curaverint legislatores, ne quis in accusatoris potestatem veniret, *εἰ τῶν ἀψύχων καὶ μὴ μετεχόντων τοῦ φρονεῖν οὐδέν ἐσθ' ὅσιον, τοιαύτην ἔχον αἰτίαν ἐᾷν ἄκριτον.* Hoc autem fere fundamentum esse legislationis Atticae Platn. t. 1 p. 8 observat.

Adducenda igitur talis res in judicium erat, in quo observatis solitis in judiciis capitalibus ritibus, fortasse etiam, postquam rei inanimatae publicum addixerant *σύνδικον*, judicabant Ephetae, de quibus jam ad legem primam disputavi, eamque si condemnassent *ὑπερώρισαν* secundum eam legem, quam laudat Aeschines in orat. in Ctesiph. p. 159 v. 12 ed. Dindf. Quod Poll. lib. VIII c. 10 *φυλοβασιλέων* officium fuisse tradit, quo eodem loco de iis memorat *προεστήκεσαν* iis judiciis, quod bene a Petito versum esse puto *Regi adsidebant*, i. e. Regi *(βασιλεῖ)* opem ferebant. Docte utriusque in hoc judicio officium exposuerunt Meier. et Schöm. p. 115 ss. Quinam autem in illa exterminatione ritus et formulae observati fuerint, difficilius est definire: certo exsecrationes non deficiebant et fortasse etiam interfecti propinqui in rem inanimam insultabant.

Altius tamen hujus legis consilium peti oportere videtur, quam ut hominis caedes etiam a re inanimata perpetrata vindicaretur: nimirum ut ex instrumento, quo caedes facta erat, in judicium adducto, quoddam argumentum sumi posset, quo conficeretur, a quo conjectum esset, id est, ut in dominum inquireretur, ut etiam apud nos locum habet. Num haec conjectura admodum vaga neque ulla auctoritate nixa quadam verosimilitudine nitatur, doctioribus dijudicandum relinquo, quibus magis quam mihi notum, quanta prudentia et cautione judicibus in talibus opus sit, et num eae virtutes in Atheniensium judiciis Draconis tempore ita colerentur, ut is legislator iis fundatam legem ferre posset.

Jam ad alterum judicium τὸ ἐν Φρεαττοῖ (2) transeo; cui lege hoc dijudicandum mandatum erat, *si quis propter caedem inconsultam exsul, alterius caedis accusaretur;* quod jam ad antecedentem legem obiter annotavi, etiam ex hac lege confici potest, nimirum legislationem

(1) Nam verba Demosth. p. 29 v. 18 et 11, e lege desumta esse putamus; singulis enim hisce judiciis lege statutae erant causae, quae in iis dijudicandae erant, ut videre licet ex prima lege a Dem. allata p. 11.

(2) Ita, quamquam sine ulla majore auctoritate, quam qua caeterae hujus vocis lectiones nituntur, corruptissimum enim est ejus nomen, legere praetuli.

Atticam praecipue in id incumbere, ut unusquisque juris sui defendendi particeps fiat: si enim homicidae propter caedem exsulanti et iterum caedis voluntariae accusato id jus tribuit et neque, quod antea fortuito caedem perpetravit, etiam hanc ulteriorem eodem modo ab eo patratam esse confidit, neque, quod solum propter exsilium attingere nequit, eum *λόγου καὶ κρίσεως ἀπεστέρησε*, tum profecto concedendum, maximam ejus fuisse curam, ut *τὸ εὐσεβὲς* inveniretur et ne hoc in rei damnum fieret. Quid igitur statuit? Hoc satis ex oratoris verbis p. 30 patere puto, ad quae lectores remitto, ne ea exscribere cogar. Tantummodo hoc addo etiam has leges magno jure ab oratore afferri, ut Aristocratis decreti *τὸ παράνομον* ostenderet: si enim et *περὶ τῶν ἀψύχων* et *περὶ τῶν ἀνδροφόνων τῶν ἤδη κεκριμένων τοσαύτη σπουδὴ γίνεται, ὅπως κρίσεως καὶ πάντων ὅποσα ἐστὶ δίκαια, τείξονται, ἧπου περί γε τοῦ μηθ' ἑαλωκότος μητ' ἐγνωσμένου, πότερον δέδρακεν ἢ οὔ, καὶ πότερ' ἄκων ἢ ἑκών, πάνδεινον γράφειν ὡς ἐκδοτέον τοῖς ἐγκαλοῦσιν εὐθὺς πρὸ δίκης.*

Denique in hac judiciorum enumeratione sponte quasi transit ad aliam Aristocratis decreti partem refutandam. Hic nimirum, cum provideret, fieri posse, ut aliquis hisce legum judiciorumque perturbationibus occurreret infelici recipiendo homicida, statuit, *ἐάν τις ἀφέληται τὸν ἀγώγιμον ἡ πόλις ἢ ἰδιώτης, ἔκσπονδος ἔστω [τῶν Ἀθηναίων]*. Sed simul etiam eum hac decreti sui parte aliam neglexisse legem ostendit orator, ad quam interpretandam jam transeo, quaeque his verbis continetur.

Ἐάν τις βιαίῳ θανάτῳ ἀποθάνῃ, ὑπὲρ τούτου τοῖς προσήκουσιν εἶναι τὰς ἀνδροληψίας, ἕως ἂν ἢ δίκας τοῦ φόνου ὑπόσχωσιν, ἢ τοὺς ἀποκτείναντας ἐκδῶσι· τὴν δ' ἀνδροληψίαν εἶναι μέχρι τριῶν, πλέον δὲ μή.

Cujus hanc versionem praebuit Grotius d. J. B. et P. lib. III c. 2, 3.

« Si quis morte per vim illata obierit, pro eo proximis *[μέχρις ἀνεψιότητος]* jus esto homi-
« nes prehendendi, donec aut poena sumatur de caede, aut homicidae dedantur: liceat autem
« tres tantum homines prehendere, non ultra."

Valde in hujus legis explicatione dissentiunt Grammatici Poll. Harp. Etym. et ipse orator. Viderunt hoc viri docti, et aut in illorum aut in hujus partes discesserunt. Nos ex eorum commentationibus ea, quae maxime nobis probantur, eligemus, et sententias componere conabimur.

Legis verba satis clara et intellectu facilia sunt, et ab oratore optime explicantur, ut hanc partem omittentes ad aliam transire jam possimus.

Grammatici nimirum, eosque secuti Grotius, Petitus et alii fortasse, qui mihi non ad manus sunt, legem ita interpretantur: *Ἀνδροληψία* seu *Ἀνδρολήψιον*, id est tres homines prehendendi jus, forma erat publici judicii, quod in eos instituebatur, qui homicidam, qui occiso cive Atheniensi ad ipsos confugerat, receperant et nec judicium de eo ipsi instituere, neque interfecti propinquis eum postulantibus dedere volebant. Haec explicatio primo adspectu manifesto ab oratoris interpretatione diversa est, qui dicit, eos *παρ' οἷς ἂν τὸ πάθος γένηται* ei exsecutionis speciei obnoxios fuisse; quare alii docti viri, hunc potius secuti, hanc legem ita explicarunt: formam eam judicii hac lege esse institutam in peregrinas civitates, quae homicidam, qui in tali civitate degens ibi civem Atheniensem interfecerat, retinerent, neque ipsi poenas ab eo sumere nec petentibus eum propinquis dedere vellent.

Ex his duabus sententiis alteram eligere, alteram prorsus improbare nequeo, et postquam de

iis multum et diu cogitavi multasque de hac lege conjecturas feci, hoc tandem mihi verosimillimum visum, utramque fortasse posse conjungi. Videmus enim oratorem nullam de caede in peregrinis civitatibus aut urbibus patrata mentionem facere, Grammaticos contra nonnullos de his tantum verba facere, Pollucis denique et Harpocrat. verba in utramque sententiam posse accipi. Si igitur ponimus Pollucem lib. VIII c. 6 et Harp. in voce, indicare voluisse per *καταφυγόντας ὥς τινας* et *ἔκ τινος πόλεως*, homicidas confugisse ad aliquam regionis Atticae aut Atheniensium ditioni subjectam urbem, in qua secundum legem, quam supra explicuimus, quaeque exsulare homicidam ex tota regione jubet, degere iis non licebat, tum profecto concedendum erit Draconis tempore, quo adhuc privata vindicta sanguinis erat, jure in tales urbes, quamquam humanitatis quodam officio erga infelices fungentes, *ἀνδροληψίαν* esse constitutam. Sin autem hoc de peregrinis civitatibus, quae idem officium homicidis praestabant, intelligi volunt, iis assentiri nequeo, quum et unicuique caedis accusato licuisse viderimus judicium effugere et in exsilium ire, actorem autem eum a tali proposito prohibere non potuisse, imo alia lege ei interdictum fuisse, quominus *τὸν ἀνδρόφονον περὰ ὅρου ἐλαύνῃ ἢ φέρῃ ἢ ἄγῃ*, quae omnia vana et homicidae inutilia fuissent, si, cum peregrinam attigisset urbem in eaque tuto viveret, etiam inde a propinquis interfecti abduci potuisset; atque ea constitutione haud parum quoque ipsae civitates, ad quas confugerat, quarumque fortasse interim civis factus erat exsul, offensae fuissent. Revera igitur Pollucem de urbibus Atheniensium ditioni subjectis hoc commemorasse puto. At in quasnam urbes Demosthenes hanc legem *ἀνδροληψίας* concedere statuit? Hoc partim jam vidimus, nimirum in eas, apud quas homicidium perpetratum erat. At utrum in peregrinas, an in eas, quae Atheniensibus subjectae erant? Hoc ex sensu conficiendum, quum expressis verbis id non indicaverit, sive quod causae suae inservire vellet, sive quod eam juris persequendi formam satis notam esse putaret. Ex uno igitur loco Demosthenem de peregrinis civitatibus hic verba facere conjici potest; nimirum ex loco p. 31 v. 16: *ἐὰν δέ τις ἀνθρώπων, ἢ καὶ ὅλη πόλις, τοσούτοις νομίμοις ἀναιρουμένοις* etc., quo vocibus *ἢ καὶ ὅλη πόλις* secundum meam sententiam peregrinam indicare vult civitatem. Caeterum etiam ex toto tenore haec oratoris sententia conficitur. Adscripsit enim hanc legem, ut alterius Aristocratis decreti partis *τὸ παράνομον* ostenderet, qua nimirum tulerat, ut unusquisque vel privatus vel civitas, qui Charidemi interfectori opem ferret, *ἔκσπονδος* esset: quid autem verosimilius erat, quam ut talis civitas extra Athenarum possessionem, in qua plerumque Charidemus degebat, sita foret: hac igitur afferenda lege, id etiam in externas statuere civitates non licere, ostendere voluit, non autem ut ex ea liqueret quid in urbes Athenis subjectas liceret.

Hanc autem utramque Grammaticorem et Demosthenis interpretationem conjungi posse putamus, si statuamus *ἀνδροληψίαν* secundum Poll. et alios in eas urbes licitam fuisse, quae homicidam receperant quaeque intra fines Atheniensium ditionis sitae erant; secundum Demosthenem autem, et in externas urbes vel civitates eas, in quibus civis Atheniensis *βιαίῳ θανάτῳ* id est *ἀδίκως ἀπέθανε*, quaeque neque de homicida judicium sumere volebant, neque eum *τοῖς προσήκουσι* tradere. Si quis autem putat *ἀνδροληψιον* tantum in exteras nationes institutam fuisse et jure gentium tantum niti, primum ipsi ostendendum erit, quomodo Poll. verba explicet, tum quibusnam fundamentis

nitatur ea sententia, tum denique quid factum sit, si revera evenisset, ut aliqua urbs Atheniensibus subjecta homicidam retineret et propinquorum vindictae et legum subtraheret.

Ut ut est, erat haec judicii forma, ut Grotius l. l. jam annotavit, violenta juris exsecutio, ex qua iterum liquet, quantopere sanguinis vindictam defenderint antiqui populi: quod autem in talem urbem vel civitatem *ἀνδροληψιον* constituerint, haec manifesta causa est, quod talis urbs caedis, quae nullo piaculo, nisi patratoris exsilio aut morte expiari poterat, culpam in se recepisset, atque igitur tota in jus vocari posset, quod revera hac juris exsecutione effectum videtur. — Quid autem de tribus illis captis hominibus fieret, non patet. Lexicon Rhet. dicit, eos ductos esse *εἰς δικαστήριον δίκην ὑφέξοντας τοῦ φόνου*, hoc autem per *βασιλέα* ejusque *ἡγεμονίαν* factum esse credunt Meier. et Schöm. eique judicii formae nihil extraordinarium tribuunt. De poena autem, quam a condemnatis sumserint Athenienses nihil certi prodi posse putant; mitibus tamen Atheniensium moribus convenisse existimant, ut tribus istis infelicibus venia daretur. Ego potius cum Grotio faciam, qui l. l. ponit eorum libertatem manendi, ubi velint et agendi, quod velint, obligatam fuisse, ita ut in servitute interim essent, donec eorum patria civitas id fecisset, quod facere deberet, id est punivisset sontem vel dedidisset. Si autem absolverentur isti tres, *ὁ ἀδίκως ἀνδροληψίᾳ κεχρημένος, οὐκ ἀνεύθυνος ἦν·* fortasse mille multabatur drachmis.

Quantum autem etiam ab hac lege Aristocratis differat decretum ipse orator ostendit. Nimirum nullam iste addiderat voci *ἀποκτείνῃ* definitionem, cum in lege additum esset *βιαίῳ* id est *ἀδίκως*, nullam deinde judicii a civitate exigendi mentionem fecerat, lege *ἕως ἂν ἢ δίκας* etc., concedente, tum, ut tota civitas *ἔκσπονδος* et inimica esset, tulerat, quae homicidam retineret, quum lex tres tantum viros prehendi juberet: denique eos, qui receperant, *ἐκσπόνδους* fecerat, quod adversus omnium gentium legem esse dicit orator. Oratorium autem et minus verum, quod huic ultimae reprehensioni inesse dicit Grotius l. l., non ex eo conficiendum mihi videtur, quod gentium jus, ut supplices suscipiantur et defendantur, ad eos tantum, quibus fortuna, non crimen obstat, pertinet: revera enim Atheniensium tunc temporis caeterorumque populorum moribus et sentiendi ratione praecipue de homicidis convenire hoc oratoris effatum puto: sed potius in eo quaererem, quod nullam inter exteras civitates et ipsis Athenis subjectas urbes distinctionem addidit, et ita quodammodo ejusdem atque Aristocrates, vitii particeps fiebat, nimirum, quod non satis accurate res definiebat: at hoc oratori tamen magis licitum, quam ei, qui jus constituere vult.

Duae leges nobis interpretandae restant, quae *οὐκέτι τῶν φονικῶν* sunt, nec minus tamen praeclare sese habent. Quoniam autem a Schöm. op. laud. p. 273 ss. et Platnero op. laud. tom. II p. 40 ss. earum sensus traditus est, nos de iis breviores esse poterimus.

Prior igitur his verbis continetur:

Μηδὲ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐφ' ἅπασιν Ἀθηναίοις· — quae ex orat. in

Timocrat.p. 106 ita supplenda est: — *τιθῇ, ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ, κρύβδην ψηφιζομένοις.*

Quam ita vertit Wolfius: « Neque cuiquam in unius viri gratiam legem ferre liceat, nisi « eadem ad omnes Athenienses pertinere possit, (nisi) decreto facto a non paucioribus quam sex « millibus, quibus id visum fuerit clam decernentibus." In qua versione quod uncis inclusit vocem *nisi*, indicare eum voluisse puto, in Graeco contextu voces *ἐὰν μὴ* aut excidisse, aut ex praecedenti esse supplendas. Illud etiam Petito p. 183 ed. Wess. videtur, cujus sententiam contra Wesselingium, cui etiam non additis istis vocabulis oratio constare videbatur, satis probatam esse video a Schöm. pag. ll. in Not. 52.

Fortasse tamen ea verba ex antecedentibus repetenda sunt, concisaeque legum orationis haec lex exemplo esse potest. — Altera de *ἐφ' ἅπασιν* codicum diversitas, pro quibus nonnulli dant *ἐπὶ πᾶσιν*, minoris est momenti. Posterior lectio plerisque locis invenitur.

Legis autem sensus non difficilis est. Nimirum *δημοκρατουμένης πόλεως* firmissimum est fundamentum *τὸν χείριστον τῶν αὐτῶν τυγχάνειν τῷ βελτίστῳ*, quod propterea omnes cives unaquaeque *ποιεῖν καὶ φιλοτομεῖσθαι καὶ ἀναλίσκειν* volunt: quare legislator Atticus anxie curavit, ut legibus *τῶν ἰδίων δικαίων κοινὴν τὴν μετουσίαν* concederet *καὶ ἴσην καὶ τοῖς ἀσθενέσι καὶ τοῖς ἰσχυροῖς*. At quoniam rempublicam conderet, quae *νόμοις* et *ψηφίσμασι* (quae unusquisque civis, *ᾧ ἐξῆν*, ferre poterat), *διῳκεῖτο*, simul ei curandum erat, ut legibus suis inessent nonnullae, quae de novis legibus et decretis ferendis statuerent. Sancivit igitur v. c. ut lex ante statuas Eponymorum exponeretur, Nomothetae a populo crearentur, qui novam legem examinarent, quinque viri ab eodem constituerentur, qui veterem defenderent etc. ante omnia tamen ut populum in annua *ἐπιχειροτονίᾳ νόμων* interrogarent Prytanes, utrum veteres leges sufficerent, nec ne. Ne autem temere quis democratiae fundamentum, quod supra posuimus, everteret et privilegium aut in alicujus damnum aut in ejus commodum proponeret, postquam *νόμους μὴ ἀρκεῖν χειροτονίᾳ* indicaverat et Nomothetas creaverat populus, Solon legem tulit, quam hoc loco affert Demosthenes: nimirum ut, priusquam de tali lege apud Nomethetas agi posset, *ἄδεια* ejus ferendae a minimum sexies mille civibus, occulta suffragia ferentibus, impetrari deberet. Quam legem si quis migrasset *παρανόμων γραφῇ ἔνοχος* fiebat: populi autem, qui eam veniam dare aut negare poterat, magis attentos reddidit animos, ut accuratius legem perpenderent, cum caeteris legibus anxie compararent, personae vel personarum, in quarum commodum vel damnum ferebatur, mores et merita investigarent etc., non enim in eadem, qua *ἄδεια* concedebatur, concione legem ferre licebat, sed primum oportebat eum, qui ejusmodi quid ferre vellet, *πρόσοδον γράψασθαι πρὸς τὴν βουλήν, εἶτα τῷ δήμῳ διαλεχθῆναι καὶ οὕτως εἰ πᾶσιν Ἀθηναίοις ἐδόκει γράφειν καὶ νομοθετεῖν περὶ τούτων, καὶ τότε τοὺς χρόνους ἀναμείναντα τοὺς ἐκ τῶν νόμων*. Soliti ergo in legibus ferendis ritus ei observandi erant atque igitur Nomothetis etiam legem examinandam fuisse credo, quod etiam Schömmanno l. l. ita videtur. Platnerus addit, id non nisi in iis legibus, quibus certum et perpetuum jus constitueretur, locum habuisse. Quibus verbis si indicare voluit, quod equidem credere nolo, privilegia temporaria et propter singulares caussas instituta, quae antiquis reipublicae Atticae temporibus psephismatibus comprehendebantur, simulac sex millia civium

ἄδειαν concesserant, rata fuisse, nec quidquam ulterius deliberatum, errat vir doctus. Quum enim ipse variis locis annotarit, in legum Atticarum interpretatione probe distinguendum esse, quid legislator Atticus statuerit et quid revera posteris temporibus evenerit, se autem: « *den alten von Solon verzeichneten Geschäftsgang* ante oculos habere confiteatur, *ohne die spä-* « *teren Abweichungen davon zu berücksichtigen :*" ex hoc ejus proposito sententia quoque de psephismatibus, quibus privilegia irrogabantur, dijudicanda est: quo facto ex loco Demosthenis vel quisquis est, qui orationem in Neaeram scripsit, tom. v p. 180 apparebit, legislatorem non quidem ut de talibus Nomothetae crearentur statuisse, attamen cavisse, ne populus τῇ ἤδη χάριτος vel ὀργῆς ὑπερβολῇ δῶρα τὰ μέγιστα impertiretur. Nimirum in binis concionibus rogari populum oportuit, neque si in priore πεισθῇ ὁ δῆμος, ratum propterea erat decretum, nisi posteriore sexies mille haud minus cives suffragiis, quae ferrentur occulte, comprobassent: quo loco quamvis agatur de civitatis jure dando, quod antiquitus praeclarissimum donum habebatur ideoque paucissimis tribui solebat; non tamen absurdum videtur, si ponamus eum de omnibus ejusmodi decretis ferendis modum statutum fuisse.

Demosthenis autem tempore, quo legum et psephismatum inter sese differentia non amplius observari solebat, eorum quoque ferendorum modum neglectum fuisse sponte apparet. Quare tunc immensum in modum creverunt γραφαὶ παρανόμων. Quum enim alter alterius exemplum, qui παράνομον quid tulerat et ob quamcumque causam ἀπέφυγε, imitaretur et rursus contra leges quid rogaret, factum est, ut quod revera παράνομον erat, ἔννομον esse crederent homines legum non ita periti: periti contra aut invidia, aut lucro aut civitatis et legum amore ducti ex antiquis legibus talium legum et psephismatum παράνομον ostenderent. Quod in hac quoque adversus Aristocratem actione locum habere potuit. Aristocrates nimirum privilegium tulerat favorabile Charidemo, odiosum ejus interfectori et quod ἤδη πολλὰ τοιαῦτα ἐγεγόνει ψηφίσματα πολλοῖς, nihil fortasse in eo παράνομον viderat. Demosthenes contra, causarum patronus, πολιτευόμενος atque igitur legum scientia imbutus, primum ἐπ' ἀνδρὶ psephisma rogatum, tum lege id vetitum esse docet, nisi sex millia civium ferendi ἄδειαν concessissent.

Utrum vero denique Aristocrates eam a populo veniam petierit, nec ne, ex oratione non liquet: si quis autem ex eo, quod orator eam legis partem omisit, conficit, revera illi a 6000 veniam datam fuisse et oratorem τῇ ὑποθέσει δουλεύειν putat, simul reputet, oratori nihil amplius probandum fuisse, nisi decreti παράνομον, quod etiam ultimo hujus legis membro omisso satis manifesto efficere poterat, tum eum, si Aristocrates eam ferendi ἄδειαν nactus fuisset, verosimillime in fictis ejus objectionibus etiam hanc refutaturum fuisse « *Populi assensu rogavi.*"

Altera denique lex in editione Tauch. ita legitur:

Ψήφισμα δὲ μηδὲν μήτε βουλῆς, μήτε δήμου, νόμου κυριώτερον εἶναι.

« Decretum nullum neque Senatus, neque populi leges latas auctoritate superato."

Hanc lectionem primus praebuit Wolfius, quamquam non ita vertit. Vario nimirum errore hoc in loco tenentur codices, quum alii vocem *νόμου* omittant, alii contra praebeant *μήτε νόμου*.

Petitus posteriorem lectionem servavit et secundum eam legem explicuit. Taylorus et Reiskius et post eos omnes viri docti Wolfii sententiam tuiti sunt, ut non amplius ego eam defendam necesse sit. Ex legis tractatione et pag. 78 v. 18, certa ejus probandae argumenta peti possunt.

De sensu quaedam disputarunt auctores ad leg. antec. laudati. Quibus haec mihi addere lubet:

Hancce nimirum legem Soloni vel antiquiori certe juris apud Athenienses constituendi tempori tribuendam esse censeo, quo accuratius leges inter et decreta distinguebatur et illarum praecipue, quippe majore prudentia latarum et perpetuam juris normam constituentium, auctoritas vindicabatur ac revera iis manebat, donec *τῶν πολιτευομένων τινὲς δυνηθέντες παρεσκεύασαν αὐτοῖς ἐξεῖναι νομοθετεῖν ὅταν τις βούληται, καὶ ὃν ἂν τύχῃ τρόπον*. Tum enim tot a populo sciscebantur leges sibi invicem et antiquis contrariae, ut *τοὺς διαλέξοντας τοὺς ἐναντίους (νόμους)* eligere cogeretur: qua re earum auctoritas haud parum frangebatur earumque cum decretis distinctio plane fere cessabat: *οἱ νόμοι γὰρ, καθ' οὕς τὰ ψηφίσματα ἔδει γράφεσθαι, νεώτεροι τῶν ψηφισμάτων αὐτῶν ἐγένοντο*. Nec tamen propterea hanc legem abrogatam fuisse ex hac oratione patet, quod quamvis saepius impune peccetur, id perpetuo delinquendi caussa esse non potest. Quoties igitur aliquis, ut hic Aristocrates, decretum ferebat huic tantum legi contrarium, *παρανόμων* actione in jus vocari poterat, nec quidquam ejus valebat excusatio, *ὡς γέγονε καὶ πρότερόν τισιν ἄλλοις τοιαῦτα ψηφίσματα*. Quid autem juris erat, si tale decretum a populo scitum, *παρανόμων* non accusabatur aut ab instituta actione desistebat actor, quo utroque casu *κύριον ἂν ἦν δήπουθεν*? Num quis secundum id actionem v. c. in alium instituere, aut legem proponere, aut quaecumque alia agere poterat? An unicuique in talibus ei se opponere licebat? Posterius affirmandum esse videtur Platnero: mihi autem paullo accuratius hoc investigare proposui, quaeque de ea re loca paucissima inveni, in fine hujus legis interpretationis memorare non supervacaneum judicavi. — Primus itaque locus est in orat. in Timocr. p. 96 v. 11 et ss., quo Timocratem reprehendit orator, quod legis ferendae tempus in decreto eoque *παρανόμῳ*, non in lege statutum observaverat, cum sciret *οὐκ ἐῶνθ' ἕτερον νόμον, ψήφισμα οὐδὲν, οὐδ' ἂν ἔννομον ᾖ, νόμου κυριώτερον εἶναι*: ex eo tamen non patet, tale decretum statim abrogatum aut omnem ei auctoritatem abrogatam fuisse. Neque ex alio ejusdem orat. loco pag. 159 med. hoc confici potest; quo tantum Timocrati vitio vertitur ab oratore, quod *τοὺς ὀφείλοντας εἰσέπραξε, τοῖς μὲν κειμένοις νόμοις περὶ τούτων οὐ χρώμενος*, sed *ψηφίσματα εἰπὼν δεινὰ καὶ παράνομα*. — Contra e Demosthenis verbis ejusdem orat. p. 115 v. 4: *ἐὰν γάρ τις —— καὶ δείξει τὸν τούτου νόμον* et nostrae orat. pag. 17 v. 22. *Οὐκοῦν εἰ μὲν ἐάσομεν ὑμᾶς* (fortasse melius *ἡμεῖς*), *τούτων συμβάντων —— οἷς ἐγνώκαμεν αὐτοὶ τἀναντία πράττειν ἀναγκασθησόμεθα* et pag. 22 init.: *φέρε, ἂν δέ τι ——— ταῦτ' ἐπιχειρῶν πράττειν· ἄλλο τι, ᾗ σιγῶντα δεήσει Χαρίδημον ἐᾶν αὐτὸν ὑβρίζειν; οὐ γὰρ ἀποκτεῖναί γε ἀσφαλὲς ——— διὰ τὸ ψήφισμα τουτί* confices potius, revera iis decretis auctoritatem mansisse, cui conjecturae non obstare videtur alius locus in orat. Dem. (ut Libanius putat, Hegesippi) de Halon. tom. 1 pag. 89 med. quo quidem loco tradit orator se Philocratis Psephismati *ἐναντία γεγραφέναι*, sed simul ex eo appa-

ret, id eum contra omnium opinionem fecisse; quare etiam tam diligenter hujus facti rationes reddit. — Hisce igitur locis bene perpensis, in universum decreta etiam παράνομα, a populo scita, tamdiu valuisse arbitror, dum aliquis haec non rata debere esse arbitratus contra ea quid ageret aut statueret: quo casu eum ab unoquoque παρανόμων postulari quidem potuisse credo, sed a judicibus, quos οἱ ὄντες κύριοι νόμοι ποιοῦσι κυρίους ἁπάντων, absolutum fuisse, cum hac uteretur defensione: « Psephisma, quod migravi, παράνομον est, lex autem non « sinit decretum ullum νόμου κυριώτερον εἶναι."

Ecce quae de hoc obscuro et incerto, quale etiam Platnero videtur, juris apud Athenienses capite colligere potui, pauca sane viris doctis, mihi satis.

Quare autem hanc legem attulerit orator, ipse ait pag. 34 initio.

TANTUM.

THESES.

I.

Graecorum Oratorum scripta, quamvis multum ad historiae cognitionem conferunt, caute tamen adhibenda esse censeo.

II.

Praeclare Cicero in lib. 1 de Rep. Cap. 4 ed. Ernest. « Neque hac nos patria lege genuit « aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis, ac tantummodo nostris ipsa com- « modis serviens, tutum perfugium otio nostro suppeditaret, et tranquillum ad quietem locum; « sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii partes ipsa sibi ad utilitatem suam « pigneraretur; tantumque nobis in nostrum privatum usum, quantum ipsi superesse posset « remitteret." Cf. quoque ejusdem lib. cap. XX. init.

III.

Veritas hujus Ennii versus

Moribus antiquis resstat Romana virisque

ultimis reipublicae Romanae temporibus manifesto apparuit.

IV.

Graecorum consuetudo praesentes cives aequales versibus perstringendi improbanda mihi videtur.

V.

Demosthenes pag. hujus orat. 47 v. 16 et ss. sibi ipse obloquitur.

VI.

Placiti vere philosophici instar est illud Demosth. effatum orat. pag. 54 v. 4: *αἱ ἀναγκαῖαι χρεῖαι τοὺς τοῦ τί πρακτέον, ἢ μή, λογισμοὺς ἀναιροῦσιν ἅπαντας*, et dignum, quod omnibus legislatoribus et judicibus in sanciendis poenis ante oculos versetur.

VII.

A licentia ad libertatem nulla alia, nisi tyrannis, via patere videtur.

VIII.

Atheniensium levitatem haud parum nimio eorum litterarum studio auctam esse putamus.

XI.

Mythologiae studium, quamvis doctrinae solidioris partem continet multumque ad philosophiam veram confert, puerili tamen educationi magis nocere, quam prodesse credimus.

X.

Leges, quas explicuimus capitales omnes vindictae sanguinis, quasi fundamento superstructae sunt.

XI.

Homimum prima caussa coeundorum fuit non tam imbecillitas, quam naturalis quaedam eorum quasi congregatio.

XII.

Civiles discordiae Athenis et Romae, vigente libertate, eloquentiam aluisse et corroborasse videntur.

3 0112 072805994